

πi
350





703.

Π i
350

Q. D. B. V.

PICTOR ERRANS

in

HISTORIA SACRA,

quem

DEI SUPERIORUMQ; INDULTU

in Incluta Univerſitate

Lipſienſi,

Eruditorum cenſuræ

ſubmiſerunt

P R Æ S E S

M. PHILIPPUS Rohe /

Marckranſtadio-Miſnicus,

Et

R E S P O N D E N S

CHRISTIANUS Steche / Brehnâ-Saxo,


Alumni Electorales,

Ad diem 6. Septembris Ann. M. DC. LXXIX.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis JUSTINI BRANDII.



77



L. D. R. K.

PICTORERRANS

HISTORIA SACRA

DEI SUPT. NOBILIMO IN DITTO

EXAMINATIONE COMITIS

M. P. L. P. P. P. P. P. P. P. P. P.

CHRISTIANUS

Licetis JUSTINI BRANDIA





Jesu juva!



Um magna ars sit, contra artifices loqui, & apud illos aliquid agere, qui se putant omnia pervidere, juxta scitum Cassiodori effatum (*Libr. XI. c. 6*); & mihi jam proposuerim Artificum haud minimis, Pictoribus nimirum, ostendere, quòd sæpe peccare suo soleant penicillo; sine dubio labor qualiscunqve duris eorum excipietur verbis. Enimverò errores passim prostantes istorum hominum, & amor veritatis facile à me impetrarunt, ut dura dicteria parùm curans à proposito me absterreri non fuerim passus, reputans apud animum illud Lactantii: primus sapientiæ gradus est, falsa intelligere. Qvalia falsa cum in tabulis pictorum compareant oppidò multa, & passim in Eruditorum scriptis obelo notata mihi fuerint visa, nil à sapientiæ studio credidi me facturum alieni, si, quæ excerpfi ex variis libris, Doctorum choro discutienda submitterem. Quò negotiò impræsentiarum ita defungar, ut primùm in genere aliquid de pictorum erroribus proferam; subjuncturò postmodum in specie errores in historia sacra seu Biblica observatos; de talib9 enim hac vice agere mihi proposui, dicturus de profanis, cum Deo, in peculiari dissertatione.

CAPUT I.

De Pictorum Erroribus in genere.

§. I.

UT statim constet, quos errores Pictorum chorus erret, & quales ego corrigendos esse putem, paulò altius repetendum venit, quid imaginem expressurum observare oporteat; hoc enim si quis nòrit, de qualibet effigie iudicium ferre poterit, num bene an malè nata?

§. II. Observabantur itaqve ab Antiquioribus, notante *Francis. Jun. (de Pictur. Vet. libr. III. ab init.)* in pictura quinque hæc capita. *Inventio* sive *historia*: *proportio* sive *symmetria*: *Color*, & in eo *lux* & *umbra*, *candor* & *tenebra*: *Motus* & in eo *Actio* & *Passio*; *Collocatio* denique sive *œconomia*, totius operis dispositio. Quatuor prima capita inventionē nempe, proportionem colorē & motum in omnibus picturis sollicitè observabant, sive ex una tantum figura, sive ex pluribus constarent: solam dispositionem in plurium figurarum tabula præcipuè curabant, ut ipsa variorum schematum apta collocatio lucem aliquam adderet diversissimis rebus, hinc inde pro argumenti natura in unum corpus congestis.

§. III. Ex his intelligere licet, quintupliciter errare posse Pictores, α) in thematis inventionē β) neglecta proportione seu symmetria, γ) colorum mixtione, δ) motuum seu gestuum ordinatione, & denique ϵ) in figurarum multarum inepta collocatione.

§. IV. Non jam animus est, quinarium errorum numerum, persequi, sed hærebo potissimum circa errores, quos errant in thematis inventionē, producturus nimirum aliquot exempla imaginum, quas ostendā à prototypo, quod delineare volunt, longum multumq; abire.

§. V. Fatendum enim omninò est, reliquorum generum errores ferme ita esse comparatos, ut artis pictoriæ intelligentissimis nonnunquam tantum innotescant. Artificium, inquit *Plinius (Lib. XXX. cap. 11.)* *Pictorum nonnunquam in tantum crescit, ut id solum intelligent artifices.* Et *Cic: (Academic. Quest. libro IV.)* *quàm multa, dicit, vident Pictores in umbris, & in eminentia, quæ nos non videmus.* Idem affirmat *Stobæus: (Serm. de Ven. & Amor. ex Plutarch.)* *hæc omnibus, inveniendi idem iudicium est. Nam visus vel natura*
perfe-

perfectior est, vel exercitior arte ad decernendum meliora. Nempe ad formas speciesq, dijudicandas pictores ingenio sensuq, plus valent. Quemadmodum Nicomachum dixisse ferunt ad rudem quendam, qui sibi Zeuxidis Helenam non pulchram videri dixerat: *Sume tibi meos oculos, & Deam existimabis.*

§. VI. Quæ cum ita sint, nolo jam jus sumere in ipsam artem, & errores, Artificum oculos plerumque incurrentes, sub censuram vocare, veritus ne idem mihi obtingat, quod futuri præter crepidas alia, de quibus minimè poterat, jejune censuram instituenti, cui acclamatum legimus ab Apelle: *ne sutor ultra crepidam.* Plin. XXXV. 10.

§. VII. Per thema Pictorum, in quo inveniendò dixi §. 4. ab iis errari, intelligitur omne id, quod delineari potest. Francis. Junio est historia (libr. III. c. 1.) Nicias Pictor vocat ὑπόθεσιν (argumentum) item γνώμην τῆς ζωγραφῆς (mentem picturæ) apud Demetrium Phaler. de Elocut. Aliis έννοια appellatur (i.e. intelligentia) Philostrato dicitur τὸ τῆς ζωγραφῆς δέγμα (fabula pictoris) & ἰσορροπία τῶν ἔργων, i. e. operis historia, cujus inventionem dirigit præprimis veritas, cui deinde subserviunt καιρὸς, δικαιοσύνη, atque ex his omnibus promanans σεμνότης. De quibus vid. allegat. Jun. l. c. Nimirum ante omnia pictura veritatis debet esse studiosa: ἡ ζωγραφὴ enim τὴν ἀλήθειαν τιμῶσα, pictura veritatem colit, ait Philostratus Icon. libr. I. Colitur verò veritas, quando pictor non exprimit ea, quæ non sunt in rerum natura, & nihil omittit, quæ in rerum natura sunt, ceu iterum loquitur Jun. l. c. vel clarius: id Pictori agendum est, ut talia depingenda inveniat, quæ reverà sunt: hæc si invenerit, caveat, ne aliquid, quod ibi non est, addat; vel quod adest, omittat; aut utrumque faciat; vel denique profus à figura ejus rei, quam adumbraturus est, abeat. Unum horum si commiserit, nascitur imago, quæ est è numero earum, quas notare impræsentiarum est animus, & ex dictis sic describi potest:

§. VIII. Imago erronea est figura omnis, quam ars ab altera forma sumtam eidem formæ notabiliter dissimilem finxit, ob malè cognitum objectum delineandum.

§. IX. Generis locum occupat figura. Rectè; nam effigies dicendas esse figuras dudum persuasit nobis πολυθρύλλητον illud: *picti dic esse figuram.*

§. X. Reliqua verba *differentiam* absolvunt, & quidem per vocem *artis* secessum facimus ab imaginibus duce & effectrice natura productis, quæ haud rarò in arte pictoria egregia specimina edit. Inde πολυμαθεύς Kircherus: *Natura*, inquit, ludibunda, cum vegetativam sensitivamq, facultatem in regno mineralium attingere non posset, fecit quod potuit; i.e. cum vitam ac sensum eis dare non posset, saltem figuram eis indidisse satis esse rata, pictores imitata, omnium, quæ in mundo continentur, rerum figuras ambitioso penicilli magisterio delineasse visa est. *Mund. subterr. libr. IIX. cap. 9. p. m. 27.* Talia admiranda Naturæ pictricis opera laudatus Auctor in seqq. plurima stitit.

§. XI. Quæ sequuntur verba: *ab altera forma &c.* distinguunt erroneam imaginem à recta. Sicut enim similitudo imaginis cum re depicta facit, ut vera sit: ita dissimilitudo ejus in respectu ad rem, cujus imago vocatur, in causa est, cur pro erronea sit habenda. Nisi enim in imagine depicta Socratis similitudo & calvitiam, & simas nares, & oculos prominentes habeat Socratis, ejus imago nequaquam dici potest, ait verissimè Ammonius in *Aristol. τῶν ἐπιμνησίων*. Ratio, quia pictura, definiens sic eam *Socrate* ap. *Voss.* (*de Ort. & Progress. Idololatr. libr. III. c. 45. p. m. 791.*) est εἰκασία τῶν ὁραμένων, representatio eorum, quæ videntur; quare inter rem & picturam, rem exprimentem, similitudo adsit necesse est. Quod patet itidem ex analogia *Scriptionis & picturæ*. Notum est *Simonidis* effatum, dicentis *picturam* ποῆσιν tacentem: *poësin* verò *picturam* loquentem, quia, ut ipse loquitur, *pictores* idem coloribus, quod *Scriptores* verbis & *diotionibus* exprimunt, differunt inter se tantummodo *imitationis*. Jam quemadmodum errat scriptor, cum ipsius oratio dissimilis est rei gestæ, quippe in historia juxta *Ammianum Marcellin.* (*libr. XXIX*) fallere non minus videtur, qui gesta præterit sciens, quàm ille, qui nunquam facta fingit: ita pictores errant, imaginem rei adumbratæ difformem delineantes.

§. XII. Dixi porrò: *notabiliter dissimilem &c.* ut ostendam, me hâc vice non censuram daturum esse in illam exquisitam convenientiam picturæ cum prototypo, quam supra §. 4. 5. & 6. ipsis colorum magistris lubens concessi; sed me locuturum de tali picturarum dissimilitudine, quæ alios, licet manum tabulæ nunquam admoveant, latere nequit. Ut ideò frustra sint, qui aliquam artem non edoctis omnem
dijudi-

dijudicandi dexteritatem de illa denegandam putant. Reclamat Tullius: Si esset, inquam, mihi de histrione dicendum, & negarem; posse eum satisfacere in gestu, nisi palastram, nisi saltare didicisset; neque eam cum dicerem, me esse histrionem necesse esset, sed fortasse non stultum artificii aestimatorem. De Clar. Orat.

§. XII. Ultima verba: ob malè cognitum &c. aperiunt, quodammodo errorum fontem. Dimanant isti plerique ex ignorantia, unde falsa tantum non omnia ortum suum ducere solent. Quod patet rursus ex analogia scriptionis cum pictura. Etenim quando historicus rem gestam literis malè consignat, spuria vel addendo, vel necessaria omittendo, inde est, quòd rerum actarum ignorantia laboravit: similem in modum, quòd pictor haut accuratè rei effigiandæ cognitionem imbibit, suo peccat penicillo.

§. XIV. Ex quo patet, cur Viri docti frequenter eruditionem in Pictoribus desiderent, & de eorum ignorantia passim conque- rantur. Nemo potest (sunt verba Franc. Jun. de Pict. Vet. libr. III. 1.) esse omni laude cumulatus artifex, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. Et paulò post: Non dubium cuiq; esse potest, quin vetustioribus pictores fictoresq; peculiari quadam ratione sapientes vocentur; cum vix aliam aliquam liberalium artium plura majoraq; altioris doctrinæ adjumenta desiderare certum sit. Credi- derunt hoc antiqui pictores ipsi, uti ex Plinio constat, qui de Pamphilio Apellis præceptore refert, quòd omnib; literis fuerit erudit; statueritq; neminem sine iis artem cum laude exercere posse (Lib. XXXV. c. 10.)

§. XV. De ignorantia verò Pictorum præcipuè modernorum querelæ prostant eruditorum passim. Vid. Beza in Acta Cap. I. Vosf. de Idol. gentil. p. m. 321. & omninò Franc. Jun. l. c. ubi omnibus, ait, artibus ornatus in publicum pictor exire debet, quòd adeò negligitur ab horum temporum artificibus, ut in operibus eorum fædo ac pudendo vi- tio trivialium inventionum feces deprehendantur. Gemella de picto- ribus Anglicanis affert Richard; Montacutiq; fatendum est, inquam, vel impietatem vel inscitiam aliquorum per parietinas & fenestrinas imagines lusisse, & illusisse hominum simplicitati: nam diabolum Christi *ωεργάστην*, monachum nobis cucullatum, Christum inferni triumphato- rem, tanquam Jovis alicujus pocillatorem; aut Cesaris alicujus Romani *διτολῆτομῆν* animam Aquilâ subvectore in cælos sublatum.

commi-

comminiscuntur. Sanctissimam Trinitatem, ineffabilem, invisibilem, incomprehensibilem tricipitem nobis, tricorpoream, triformem nescio quem, horresco referens, representant. Quæ cum sexcentis aliis deliris blasphemis pictorum lusibus & imposturis credula, plebecula & inhianti imponunt. (Orig. Eccles. part. prior. p. m. 162. De nostris pictoribus ait Cl. Dilherr (Tom. I. Dissp. p. m. 723.) quisquis pictorum nostrorum ruditatem voluerit corrigere; is profecto otium desperaverit omnino: adeo ineruditi sunt plerique, adeo cognitionem omnem antiquitatis turpiter abjecerunt. Hæ querelæ modernorum pictorum ignorantiam, & imposturam tangunt; quâ labe tamen Veteres non planè caruerunt. Vid. Cl. Michaël. Piccart. Prof. Noric Observ. Historico-Polit. (Dec. X. cap. 1. p. m. 275.) ubi fontem, ex quo opinio πολυθείας ad gentiles dimanavit, tertium numerat libidinem pictorum, qui, quicquid à Poëtis de Diis fuit excogitatum, illi statim coloribus expresserunt, & ut verissimarum rerum icones credulo populo commendarunt.

§. XVI. Hinc non adeo mirum, cur argumenta à picturis petita nullius roboris æstimentur. Ita Cass. Sanctius ad argumentum, quod Nebrissenfis pro firmanda sententia de situ sinistro, quod dextro sit honoratior, ex picturis (quæ Paulum ad dextram Petri, tanquam gladium stipatorem, collocant) attulit, respondet; ex pictorum commentis & lusibus in re tanti momenti nihil definiendum debere. Similem in modum Richard. Montacut. ἀπόδειξιν vocat imaginariam, quâ nonnulli inter Pontificios cœcitatem Simeonis (de quo infra) adferere sunt nisi (Orig. Eccles. part. prior. p. m. 161.) Adde B. Danhauer: qui itidem imaginarium vocat argumentum Bellarmini, à signis & imaginibus deductum (Hodosoph. p. m. 282.) Thomam Bartholin. (de Cruc. p. m. 34. sq.) pictoribus, dicentem, si credimus valde decipiemur, nec minus eris falsus, si ad eorum provocaveris auctoritatem, sequuntur illi Majorum limites, ne discolor sit imago; Cl. Ludovic. Liebhardum in Exercit. de liberorum Hamel. egressu, pro cuius confirmatione allatum à pictura vitrea argumentum vocat vitreum, i. e. fragile.

§. XVII. Potest verò falsitas picturæ duobus modis considerari: vel enim imago rem falsam exprimit: ut si quis Augustum Cæsarem curru igneo sublato per aërem ferri fingeret (conf. Cap. II. sect. 2. num. I. V. XVII. XXIV.); aut rem veram falsa tamen figura delineat, quod fit, cum ipsa substantia rei non mutatur, aut illud, quod primum in ipsa

in ipsa est, non aliter exprimitur, quam se habet; sed nonnulla, quæ ei accidunt, & eam circumfident, pervertuntur, id quod fit in circumstantia *quantitatis* (conf. Cap. II. Sect. 2. num. XX. & Epilog.) *Qualitatis* (conf. Cap. II. Sect. 1. num. IV. Sect. 2. num. III. IV. XI. &c.) *Relationis*, ubi inter multas res proportio non servatur; *Actionis*, si alicui tribuas, quod nunquam fecit. (Vid. Sect. 2. num. XII.) *Passionis*, ut si Petro caput gladio abscissum, pingas. (Conf. Sect. I. num. XXI.) *Temporis*, ut si bellum Philistinorum, Davidis tempore gestum, geri pingatur tempore Maccabæorum; (Ubi conf. Sect. 2. num. X. XV.) *Situs* (conf. Cap. II. Sect. 2. num. XIV. XXIX.) *Habitus*, ut si quis pingeret Johannem Baptistam indutum pelle Camelina, nulla arte præparata. (Conf. Sect. 2. num. IX.)

§. XVIII. Inde videt B. L. erroneas picturas sponte abire in duas classes, quarum *prior* continet imagines rem falsam exprimentes; *posterior* tales, quæ quidem rem veram repræsentant, sed falsa figura, & quoad nonnullas circumstantias prototypo suo difformi. Facili proinde negotio hujusmodi figuras, quibus corrigendis occupor, potuissim ad has duas classes revocare, ita ut, quæ rem falsam exhibent priorem; quæ rem veram, falsa tamen figura expressam, posteriorem occuparent locum. Enimverò malui ordinem librorum S. Scripturæ, in quibus observavi, attendere, eas quæ imagines, quæ falsis coloribus depictæ sunt in V. T. priori; quæ ad N. T. spectant, posteriori loco recensere. Interim ex cujusvis effigiei censura facilimè quilibet intelliget, ad quam classem pertineat, & quâ circumstantiâ peccet. Hæc de erroribus pictorum in genere; Jam ipsas erroneas picturas depromam, observatas tum in V. tum in N. T.

CAPUT II.

De erroneis Picturis in specie agens.

SECTIO I.

Exhibens Picturas erroneas V. Tti.

DEUS SENEX CREATOR.

DEum Patrem, creantem hoc universum, senis habitu vultuque depingunt, qui nec humana est facie, nec in senium transcribitur, nec tunc ut senex apparuit. Juvat adscribere *ἐπίκεισιν*

B

B. Angu-

B. Augustini (Epist. CXXII. Edit. Froben. p. 863.) super ejusmodi Picturis: oportet, inquit piissimus Pater, ob omnibus corporibus & ab omnium corporum similitudinibus (Trinitatem) secernamus. Et paulò post: Si in nullo istorum genere esse putanda est Trinitas, & sic est invisibilis, ut nec mente videatur, multo minus de illa istiusmodi opinionem habere debemus, ut eam rebus corporalibus, vel rerum corporalium imaginibus similem esse credamus. Non enim corpora pulchritudine, mole aut magnitudine superat, sed dissimilitudine ac disparitate natura. Et si discreta est à comparatione bonorum animi nostri, qualia sunt sapientia, justitia, charitas, & cetera talia, quæ profectò mole corporis non pendimus, nec eorum quasi corporeas formas cogitatione figuramus; sed ea, quando rectè intelligimus, sine aliqua corpulentia, vel similitudine corpulentiae in luce mentis concipimus: quanto est omnium qualitarum, & quantitatum corporalium comparatione discretior? Conf. ibid. plura.

Sed regerunt Pictores, se non Dei imaginem corpoream (quæ, ut Spiritus caret), sed visionem, in qua apparuit, pingere; apparuit verò Dan. VII. 9. seqq. in forma senis. Resp. Benè! Ergò tunc temporis, quò eadem forma se nondum conspiciendum exhibuit, illà non figurandus est. Monstrent verò visionem aliquam Dei, mundum creantis, quæ habitum $\omega\lambda\iota\omicron\kappa\rho\upsilon\alpha\phi\varsigma$ viri indutus visus est. Taxat hanc picturam nobiscum CL. Bartholinus Libr. de Cruc. p. m. 34. & omnes ii Eruditi, qui, rejectà illà Dei mundum creantis effigie, adsumserunt Nomen tetragrammaton יהוה . Icones passim extant. Ceterùm si pingant historiam & apparitionem, in qua Deus se ut senem manifestavit, uti ap. Dan. VII. nolim eos corrigere. Vid. omninò D. Cram. Heres. Clas. I. p. m. 85.

SERPENS PARADISIACUS

II.

$\alpha\pi\alpha\varsigma$.

Genes. III.

1. 14.

Serpentem, quò Dæmon usus, sollicitans Evam ad defectio-
nem à Deo, effigiant $\alpha\pi\omicron\delta\alpha$, seu sine pedibus. Fallere hos colores
intelligit, qui perpendit, gressum super pectus serpenti in pœnam da-
tum fuisse à Deo, puniente instrumentum Dæmonis, ut ostendat, quan-
tum detestetur ipsum Satanæ scelus. *Quomodo cecitas, si naturalis
est, ex vulnere vel morbo accessorio nata dici potest, inquit acutè Dan-*
haverus

hauerus (*Hodosoph. p. m. 428.*) in simili dicere licet: quomodo *ἀνοδία* serpentis nata dici potest ex crimine aliquo, quæ ipsi antea concreta fuit? Et videtur Deus in testimonium hujus rei jussisse superstites esse hujus generis serpentes; Nam *Scaliger (Exercit. 183.)* notat, dari adhuc in *Calcut & Malcabar* serpentes alatos, pedestres, quadrupedes. Ita *Solinus* refert, *Arabicæ paludes mittere examina pennatorum angvium*. Visos etiam sibi esse serpentes anserinis pedibus ingressos, scribit *Plinius*, (*libr. XI. c. 47. N. H.*) *Agathargides (Cap. 41. de rubro mari)* memorat, serpentes in *Æthiopia* esse magnitudine stupendos, qui omnes vitæ nutrimenta ex venenatu caprent. Visum sibi XXX. cubitorum unum: & tamen captos fame ita mansuescieri, ut nihil nec mitius nec terribilius esse possit; illud placiditate, hoc adspectu. Patrum suffragia, serpentis hujus *ἀνοδία* refutantia, collegit *Ursinus Analect. f. p. m. 327.* Aliorum recentium interpp. *Polus Synops. ad h. l. p. m. 36.*

ANGELUS PARADISI CUSTOS.

III.

Unicum Angelum instructum gladio ancipiti, ut custodem ad januam Paradisi locant Pictores, historiam de expulsionem Adami ex horto voluptatis adumbrantes.

Gen. III. 42.

Sunt quidam magni nominis viri, qui negant, Angelos à Deo ad custodiendum Paradisum ordinatos. Quos inter *Muscivius in Comment. ad Gen. III.* Plurimi verò Angelos ad limina dicti horti excubias egisse affirmant, quos rectè quidem secuti Pictores angelicum (uti aliàs pingi solet) simulacrum exprimunt. Cum verò unicum tantum repræsentent, putantes, uni Angelo custodiam horti commissam fuisse, hoc est, quod emendari debet, uti haut difficulter constabit inspecturis s. linguam, in quâ legimus, Deum ab oriente horti Eden collocasse *הַכְרֻבִּים*, quò nomine in numero, uti loquimur, plurali posito intelliguntur Angeli, non unus Angelus, adferentibus id *Raschi*, & *Aben Esra* in *h. l. Plures Cherubim*, inquit *B. D. Gerhardus (Comment. in h. l. p. m. 125.)* dicuntur ante Paradisum collocati. Consentunt reliqui Interpp. adeò ut *L. de Dieu: Angelos intelligi, neminem dubitare*, scribat ap. *Matthæum Polum (in synops Crit. ad h. l. p. m. 57.)* ubi concentus plurimorum Expositorum simul legi potest.

B 2

ARCA

modi Pi-
us & ab
Et pau-
& sic est
odi opi-
n corpo-
pulchri-
dispari-
i nostri,
profecto
s cogita-
a corpu-
: quanto
aratione

um (qua,
apparuit
c tempo-
illâ non
mundum
Taxat
p. m. 34.
s effigie,
n extant.
s se ut se-
id, omni-

defectio-
s colores
enam da-
dat, quan-
naturalis
cutè Dan-
hauerus

IV.

Gen. VI. 14.
seqq.

ARCA NOÆ BIFORMIS.

Videmus, inquit *Cl. Hornius* (*Arca Noë p. m. 27.*) vulgò Arcam ita depingi, quasi quadratum ejus navi impositum fuisset. Nimirum Pictores adumbrantes Noachicum tempore diluvii domicilium sistunt navim rotundam, cui structuram quadratam imponunt.

Utut de Arcæ figurâ non benè conveniat inter s. textus Expositores, aliis rotundam, quadratam aliis statuentibus; temerarium tamen est Pictorum factum, duplici figurâ arcam repræsentantium, inferiore scilicet ejus parte rotunda, superiori quadrata, contra omnem S. Scripturam & bonorum Interpretum fidem. Nolo verò istam controversiam impræsentiarum facere meam, quâ figurâ, quam Philosophi vocant, totali, Noachicum extructum fuerit receptaculum? Quia videmus magnos hâc in re sibi invicem contradicentes viros. Videatur omninò *Augustinus Torniellus* (*Annal. s. & profan. ad annum Mund. 1557.*) qui ex *Johanne Buteone, Pererio & Aria Montano* septem icones arcæ exhibet. Fateor interim mihi, non displicere sententiam, seu mavis, conjecturam, de figura ejus rotunda, quam citatus supra *Hornius* adsertum ivit, fretus inter cetera argumento â figurâ antiquissimarum navium rotunda petito. Cui suffragatur *Celeberrimus Dominus Arnoldus* (*in Epistol. ad Filium*) probans Hornianum placitum ex lege notissima navalis architectonicæ, commendata â *Nicolao Virrheno* in *Architect. Naval. Belgicæ* quidem, sed iudice laudato *Arnoldo*, accuratè conscripta, cujus tenor: *Quadratum terrestribus edificiis conducere, minimè maritimis.* Ex quo fundamento rotundam arcæ Noachicæ demonstrat figuram, aptissimam videlicet resistendo immanissimis abundantissimarum aquarum fluctibus. Iconem exhibet libellus *Hornii*, cui titulus *Arca Noë.* *Menochius* contra, *Grotius* & alii (*ap. Polum in Synops. Crit. ad Cap. VII. Gen. v. 14. p. m. 76.*) nolunt illam navigii figuram, adoptantes aliam, infra nempe & supra latam, arcæ communis ad instar, quam significari voce תֵּבָה putant; Sed quis novit arcarum veterum figuram, quærit *Cl. Arnoldus*?

V.

Gen. XXII.
v. 10.

ABRAHAM GLADIATUS.

Abrahamum ad mactandum Isaacum paratum sistunt Pictores talem: Conspicitur stricto in manu extensa gladio filii jugulum petere, reclamante textu Hebræo, ex quo, Abrahamum fuisse cultro, non gladio usum, probamus facilè; nam vox quæ istic loci, ubi hac de

de re agitur (*Gen. XXII. 10.*) occurrit **קַלְחָן** significat cultrum, attestantibus Lexicographis. Nec alium significatum patitur constructio dictæ vocis cum radice **קַחַץ**, quæ notat jugulare, mactare, quod fit, quando culter mactatorius ad scindendum procedit, & scindendo reducitur. Idem confirmant Translatores Biblici probatissimi: *Chaldaeus* vocem transfert per **כַּלְחָן**, quæ vox cultrum denotat, sequuntur *Syrus, Arabs, Samaritanus, Junius & Tremellius, Tigurini, Malvenda*, qui omnes Hebræam vocem pro cultro accipiunt (*ap. Polum Synops. Crit. ad h. l. p. m. 147.*) Huc accedit ratio, tali instrumento mactare Abrahamum voluisse filium, quò postea arietem; at victimas jugulatas olim & mactatas fuisse cultris, nemo vocat in dubium. Nam & gentilibus Israëliticæ gentis æmulis, cultri fuere in usu. Vid. *Dionys. Halicarn. (libr. VII. Antiquit. Rom.)* & qui *Dionysio* coætaneus fuit, *Virgilius (libr. III. Georg.)* canit notanter:

*Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri,
Summaq; jejuna sanie infuscatur arena.*

Idem VI. *Aeneid.*

*Supponunt alii cultros, tepidumq; cruorem,
Suscipiunt pateris.*

Unde & *cultrarii* vocantur, qui Diis exhibitam victimam jugulabant. Cujus vocis meminit *Svetonius in Calig. cap. 32.* Animadvertit quoque suo tempore pictorum errorem *B. Lutherus*, inde in *Comment. ad Gen. (cap. XXII.)* non fuit, inquit, *gladius*, nec rectè imago illa *Abrahamæ* mactaturi filium vulgò pingitur. Fuit culter, quò *Sacerdotes* solebant uti. Cui succinit *B. Gerhardus (in Comment. ad h. l.)* ad quæst. an vocula **קַלְחָן** reddenda per gladium ita respondens: *Sic reddit vulgatus Interpres, unde Abraham NB. vulgò pingitur cum gladio ad ferendum Isaacæ cervicem extenso; sed rectius vertitur per cultrum &c.* Nec aliter *Piscator, (in Comment. ad h. l.)* non rectè, inquit, pingitur *Abraham cum gladio stricto.* Nuperrimè eadem repetierunt *Dn. Bohemus, Scholæ Dresdensis Rector, vñv μακαρίτης. (Tom. II. Program. Dresdens. p. m. 249.)* & *Aug. Pfeifferus, Hebraicarum literarum callentissimus: Abraham/dicens, ergreiffte eigenhändig sein Schlachtmesser/denn kein Schwert oder Sebel ist gewesen/wie etliche unverständige Mahler ihn zu repräsentiren pflegen/damit er Hencfermäßig zum*

zum Hiebe aufgeholet hätte. In Passions-Spieg. Conc. III. p. m. 59. Ansam errandi Pictoribus dedit vulgatæ versionis Auctor, uti ex dictis patet, à quo seducti & alii lingvæ Hebrææ imperiti Interpretes, qui pro cultro gladium substituerunt. Ita lego in versione German. MSC. Norimberg. Ao. 1442. ad ductum vulgatæ adornata, quæ hodiernum ut rarissimum κειμήλιον in Bibliotheca Bosiana servatur: und (Abraham) wischt sein swert / das er vorflug / und opfert.

VI.

ISAAC MACTANDUS INGENICULANS.

ibid. v. 9.

Præter adductum errorem occurrit adhuc alius, quem nonnulli pictores in depingenda allegata historia errant, cum Isaacum strui lignorum ingeniculantem manibus pectus versus complicatis effigiant. Ne approbemus hanc figuram, prohibemur à Textu authentico Hebræo, in quo legitur vox רַפְּי , quam & *Chaldeus Interpres* retinet, notatque propriè ligare manus cum pedibus, non manus simul, & pedes simul, sed unam manum uni pedi. Hoc modo ligatus Isaacus, certè flexis genibus, ceu pictores volunt, incumbere lignis haud potuit. Obstat enim porrò mos antiquissimus, qui docet, victimas quondam fuisse ligatas, notante id *Hug. Grotio*, & probante ex *Servio* ad illud *Virgilii* (in *Æneid.*) - - - *et vincula rupi*; & *Ovidii* versibus (*libr. III. de Ponto Eleg. II.*)

*Protinus immitem Trivia ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.*

Quem modum observasse quoque Judæos testis est *Buxtorffius Lexic. Talmud. f. 1648.* Ut adeò verissimè scripserit *Megalander noster Lutherus*: (in *Comment. ad h. l.*) *Isaac supinus super strue lignorum jacuit versò vultu in cælum, & Abraham jugulum ejus ferire voluit, sicut lanii vitulos solent mactare.* Non pessimè hunc situm expressit vetustissima Versio German: num: anteced. citata his verbis: *da leyf er (Abraham) in (Isaac) auf den Hauffen des Holzes: Conf. Farchi Comment. in Gen. XXII. 19. ubi, ligavit, inquit, manus (Isaaci) & pedes ejus post tergum, manus & pedes simul.*

VII.

COMEDENTES PASCHA STANTES.

*Exod. XII.
11. 12. seqq.*

Cum iidem colorum magistri agni paschalis esum ante egres-

sum

sum ex Ægypto repræsentare volunt, ita convivias delineant, quasi comedentes steterint.

Fateor, magnis viris arrisisse hanc imaginem, & etiamnum placere multis, cum ipsis sedeat opinio, à stantibus quondam agnum paschalem absumtum fuisse. Hinc quando debuerent rationem reddere, cur Christus tempore N. T. cum suis discipulis non stando pascha celebrarit, vel negant istas epulas fuisse paschales, ut fecit *Camerarius*, gravissimi iudicii vir, putans, posse intelligi istam cœnam non fuisse epulas paschales, quibus vesci oporteret stantes. (in *Not. ad N. T.*); vel dicunt, ritum istum fuisse *temporarium*, & primo paschati proprium, persimilem sex aliis ritibus, quos prima vice pascha celebrantes abserbare necesse habuerint; quæ sententia est, *Junii, Piscatoris, Ainsworthi*, & aliorum apud *Polum* (*Synops. ad Exod. XII. 11. p. m. 334. ubi & sex illos peculiare ritus ex Munstero recenset*); vel adhibent aliquod conciliationis emplastrum, distinguentes inter (ut ita loqui liceat) *semi-stantes*, & *semi-sedentes*, rati Christum ita discubuisse, ut quodammodo etiam stetisse dici potuisset. Tantas difficultates summis viris peperit opinio de situ comedentium.

Non ausim profectò hiscere contra tot Eruditissimorum virorum auctoritatem, nisi major mihi, & cui non? debeat esse auctoritas S. Scripturæ, quæ, quia expressè non dicit, quod stantes debuerint comedere pascha, me movet, ut dubitem situm istum credere. Legat modò quis *Cap. XII. Exod.* ubi accuratissimè minutissima quæque *Moses* iussu Dei consignavit observanda à comedentibus, & deprehendet, non præcepisse Deum ut edentes stent. Vidit mandati defectum *Bochartus*, inde ait: *an stantes ederent, lex non dicit.* (ap. *Pol. l. c.*) Vidit Celeberrimus *Erasm. Schmidius*, cuius verba ἀξιωματικόν ἐστιν adscribam: ita verò ad *Notam Bezae in Cap. XXVII. Matth.* quæ hæc est: *Alioquin Exod. XII. jubet Dominus agnum à stantibus, calceatis, & ad iter accinctis cum festinatione comedi, ita, inquam, respondet: quæ omnia agnosco; excepto hoc unico, quod à stantibus debuerit comedi. Illud enim tum demum credam, ubi mihi ex institutione dominica monstratum fuerit.* NB. *Pictores quidem, quibus quilibet cum Poetis audendi semper fuit æqua potestas, teste Horatio, agni paschalis esum ante exodum ex Ægypto ita nobis consueverunt repræsentare, quasi comedentes steterint. Sed NB. Sacra Scriptura hæc de re verbum habet nullum*

nullum, quod ego quidem sciam. Non est itaque ut stationem vescen-
 tium urgeamus. (in Not. ad Cap. XXVI. Matth. 3. v. 4. p. m. 344. a. b.)
 Viderunt eundem defectum dominici mandati Theologi Wittebergenses,
 coævilaudato Domino Schmidio, ideò tunc temporis, cum contro-
 versia de statione hac moveretur, fassi sunt, Scripturam pro ea non sup-
 peditare argumentum. Rem ital. c. enarrat Schmidius: In memoria
 haeret, quantò quasi zelo hac quaestio annò 1618. hic Witteberga à duo-
 bus studiosis natione Graecis, Benedicto nimirum Cretensi, & Zacharia
 Gergano Ithacensi, agitata fuerit: ubi à tum temporis Theologis hujus
 Academie illis responsum fuit, situm stantium in esu agni paschatos
 ex Scriptura probari non posse. Si ergò ex scriptura non potest adstrui,
 etiam Pictores fallunt & falluntur, aliter istam historiam delineantes.

VIII.

Ex. XXXIV.

29. seqq.

MOSES CORNUTUS.

Mosi ob pulcritudinem obstupescendam omnibus caro (Vid.
 Joseph. Antiqu. Jud. cap. V. ubi mira narrat de formositate Mosis)
 communiter affingunt cornua Pictores, prognata ex ejus velut arietis
 capite. Crassum erratum imitatur lingua plebis, proverbiali sermone
 dicentis: Ich möchte immer Hörner kriegen wie Moses. A qua
 opinione non absunt Poëtastri quidam moderni, impiè canentes:

O du grosser Hörner-träger / O du Moses Eben-bild.

Quos pro meritò castigavit censura Magnifici nostri D. Scher-
 zeri (Cens. Msc. cens. libr. num. LXXII.)

Fons erroris non procul quærendus est, hauserunt eum ex
 Vulgata Versione, quæ verba Hebræa קָרַן עוֹר פָּנָיו perperam red-
 didit: quod cornuta esset facies sua; Germanicè juxta Norimberg.
 Das Gehörnet was sein Antlitz von der Gesellschaft der Heil Gottes.
 ac si vox קָרַן significet cornutum esse; cum tamen juxta R. Salom. va-
 leat lucem emittere instar cornu. Id quod optimè intellexerunt pro-
 batissimi Translatores, Munsterus, Vatablus, Paulus Fagius, Arias
 Montanus, Junius & Tremellius, it. Syrus, Arabs, Samaritanus (ap.
 Polum Synops. Crit. ad Exod. XXXIV. 29. p. m. 461.) qui omnes vocem
 קָרַן sensu radiandi expresserunt. Sic LXX. δέδοξασαί Moses, quod
 glorificatus esset Moses: propriissimè noster Heros Lutherus: Daß die
 Haut seines Angesichts glänzet. Absurdam igitur versionem secuti
 Pictores, monstruosum nobis toties exhibuerunt Mosen, observante id
 quoque Cl. Vossio: ex hac, dicente, falsa vocis interpretatione orta est
 inepta

inepta Pictorum consuetudo Moſen effingentium cum cornibus binis
 (libr. I. Idol. p. 425.) in quem ſenſum Paulus Fagius (in collat. Trans-
 lat. V. T.) & Oleaſter: hinc, inquiunt, error natus, quod Moſes in
 templis cornutus pingitur. Nec aliter Marnixius: Darnach / pro mo-
 re ironice ait, daß man Moſen mit Hörnern gemahlet / geſchicht aus
 dieſen Urfachen: dieweil dort geſchrieben ſtehet / daß ſein Angeſicht gar
 glänzend ware (wie ſolches Paulus ſelbſten aufleget 2. Cor. III. 7.) Das
 hat die Gemeine Verdolmetschung der H. Römischen Kirchen alſo
 aufgeleget / daß Moſes Hörner hatte: damit er ſich in dieſem Stück
 den Biſchoffen / ſo auch zwey Hörner tragen / vergleichen möchte.
 Bienenkorb part. II. cap. 14. p. m. 158. Parum (quod obiter notare
 libet) præſidii inveniunt Pictores in antiqvis nummis cornutum Moſen
 exhibentibus, quia & hi nummi auctores agnoſcunt non Judæos, ſed
 ipſiſſimos Chriſtianos, qui, cum Vulgatæ adhæſerint verſioni, non po-
 tuerunt, niſi Moſen cornutum fuiſſe, credere. Vid. omninò hæc
 pluribus doctiſſimè diſcutientem Cl. tunc temporis M. Joh. Benedict.
 Carpxovium, nunc S. S. Theol. Doct. & P. P. Præceptorem meum et a-
 tem ſubmiſſe colendum in Diſp. habitâ hic de nummis Moſen cornutum
 exhibentibus, anno 1659.

SPONSUS MYSTICUS

ἀγγελος.

IX.

Cantic. I, 4.

Auctor Piorum Deſideriorum, Hermannus Hugo, quem nobis
 Johannes Georg. Albinus, nuper apud Numburg. Myſta Dei Fideliffimus,
 ut & Poëta feliciffimus, ὄν ἐν ἀγίοις, Germanico idiomaſe expreſſum
 elegantiffimis verſibus exhibuit, ille inquam Hermannus Hugo verba
 iſta Cantic. I. 4. Trahe me poſt te, curremus, emblemate expreſſurus
 myſticum ſponſum geſtante manu thuribulum fumigans, & laqueò
 Sponſam à tergo trahentem effigiari curavit. (Pior. Deſ. libr. II. Em-
 blem. VIII. p. m. 342.) Hinc in enodatione Emblematis laudatus Albinus
 ſenſum Hugonis redditurus ita Sponſam myſticam loquentem inducit:

Hier liegt der faule Kumpff in ſeinem Sünden-Schlammel
 Zünd an dein Räucher-Werck mit ſeiner ſüſſen Glamme.

Seduxit devotiſſimus alioquin Hugo Pictorem ſua vitioſa ver-
 ſione Vulgata, quæ textui Hebræo, in quo hæc verba tantum leguntur:
 מְשִׁכְנִי אַחֲרַיךָ נְרוּצָה ſequentia temerè adſuit: in odorem unguento-
 rum ſuorum, quarum vocum in fontibus nec vola nec veſtigium com-
 paret.

C

paret, quemadmodum etiam non leguntur in aliquâ probata versione, Syra, Junio-Tremelliana, Munsteri, Pagnini, Piscatoris aliorumque. Tribuit igitur Pictor Sponso aliquid istic loci, cuius facer textus non meminit, id quod, cum perlegens libellum animadverterim, hic annotare volui.

X.
Propheta
Jesaias.

JESAIAS DISSECTUS.

Ita nimirum Pictores, mortem Jesaiæ, Prophetarum primi-figurantes, lineas ducunt, sistuntque eum ferrâ à summo capite per medium corpus ductâ dissectum. Effigies prostat in *frontispicio Comment. Cass. Sanct.* Dubitari potest, num rei veritati conformis sit, 1.) quia Scriptura ejus non meminit 2.) apud Hebræos hoc mortis genus fuit inusitatum; nam usitatissima capitalia supplicia ipsis erant *α) decollatio β) lapidatio γ) ustulatio & δ) strangulatio* (*Vid. omnino D. Pfeiffer. Dissert. de Antiqu. Jud. Ritibus pos. 2. ubi operose adducta supplicia evoluit*) 3. quia ipsis gentilibus hoc supplicii genus dimembrationis horribilius visum. Dignus est qui legatur *A. Gellius Noct. Attic. libr. XX. cap. I.* 4. Nec ipsa de dissectione Jesaiæ traditio, si eam neges, aboletur, potest enim metaphoricè accipi, ut disseccari idem sit, ac crudelissimis tormentis subjici, quâ significatione verbum *διχοτομεῖν* apud *Matth. cap. XXIV. 51.* cuius præcipua significatio est, medium aliquem dividere, plerique Interpp. accipiunt.

Reddunt hæ rationes ad minimum dubiam Picturam, non a-
sim dicere falsam, quia plurimis Patribus, quos citant *Alvarez (in Prefat. ad Jes. p. m. 19.) Sanctius (in Proem. in Jes.)* jam olim vera visa est. Nec prolata argumenta falsitatē evincunt; responderi enim potest ad 1.) in historiis talem collectionem non procedere, ad 2.) distingv. esse inter supplicia ordinaria & extraordinaria (*vid. D. Pfeiff. l. c.*) ad 3.) quosdam crudelitate gentes superasse, qualis fuit Manasse, cuius iussu Jesaias trucidatus dicitur; imò & gentes non semper abstinuissent ab eodem supplicio (*vid. Gellius l. c.*) ad 4.) posse æqvè facilè propriè accipi & traditionem, & vocem *διχοτομεῖν*, cui synonymum est verbum *ἐπερίθνησαν*, de Prophetis V. T. adhibitum *Hebr. XI. 37.* Maneat igitur per me dubia hæc pictura. Sed ea, quæ hanc excipit, falsissimarum omnium prima nominanda meritò erit, quâ repræsentatur

DANIEL

In vetusto Codice (*inquit Cornelius à Lapide in Comment. in Dan. XII. 13. Dan. p. m. 1264.*) Basilii Porphyro geniti Daniel sub Attalo capite plexus depingitur, & subjectâ scripturâ historicè enarratur.

Mendacissimos colores delent 1.) S. Literæ, quæ testantur Daniëlem placidâ morte obdormiisse (*Dan. XII. 13.*) 2.) Patrum & optimorum Interpp. suffragia; *Mortuus est, inquit, Caspar Sanct. (in Prolegom. ad Dan. p. m. 8.) Babylone, ut docent communiter Patres & Martyrologium Romanum, cuius auctoritas homini Pontificio debet esse maxima, iudice eod. Sanct. (in Prolegom. ad Jes.)* Iis adstipulatur, *Josephus (Antiqu. Jud. libr. X. c. 12.)* in hoc solum à Patribus & aliis discrepans, quod potius in Media decessisse eum statuatur, quem & alii sequuntur (*vid. Synops. Crit. Poli in Proleg. ad Dan. p. m. 1323.*) Quare ipse *Cornelius à Lap.* evidentiam erroris advertens nec quicquam adferere audet, rem in medio relinqvens, quia (*ut ipse fatetur*) *nullus veterum Patrum vel Historicorum hoc memoria prodidit.* 3.) Ipsa historiarum relatio, quæ mentionem facit alicujus Attali, quod nomen Latio non Persiæ proprium. Meritò igitur Philologorum decus, *Reinesius (libr. II. Var. lect. c. 13.) portentum fabula vocat, & puerile delirium.*

SECTIO II.

Continens picturas erroneas Nov. Testamenti.

Produximus aliquot imagines spurias ex libris V. T. plures forsitan diligens scrutator observabit. Jam pes proferendus est ad libros N. T. ubi largior messis errorum speranda. Hinc necesse est, ut in iis eruendis & destruendis breviores ducâ lineas, ne nimium paginae excrescant. Libros N. T. consignarunt Evangelistæ & Apostoli impulsu Spiritus S. quorum capita vulgò cingunt radiis. Consideremus ergò statim

CAPITA SANCTORUM RADIOSA.

Evangelistas, uti dixi, Apostolos, Virginem Θεολόγον ipsumque Salvatorem nostrum pingunt cum orbiculo circa caput splendenti, & radiato, nullo nisi fundamento, & absque scripturæ suffragio, quæ huius rei non meminit. Quare figmentum & auctarium luxuriantium pictorum esse, consentiunt eruditi; quanquam natalitia erroris diversimodè quærant.

Quidam hunc pingendi morem profectum putant à paganorum

C 2

confe-

I.
*Auctores
Evangelicæ
historiæ.*

consuetudine, qui suis Heroibus, imò & Diis radiata capita tribuere, consueverunt, talia edocti scilicet ab Ægyptiis, iudice *Pl. Rev. atque Excell. Dn. L. Felleri*, Præceptore & studiorum meorum Promotore faventissimo (in *Specileg. Philolog. ad Mart. libr. de spectac. MSC. cap. 2.*) qui dicit, apud Ægyptios nil occurrit, cui non circulare aut sphericum quicquam fuerit adjectum. Neq; aliud quid circulus capitibus simulacrorum impositus denotat, nisi divinum, infinitum, æternum. Teste *Kirchero* (Tom. II. *Oedip. Ægypt. clasf. 7. p. 87. seqq.*) Ut autem illustrior redderetur, pergit laudatus *Fellerus*, circulus, avinitatis index, post ea radiis velut solaribus exornatus, nec Diis tantum, sed hominibus etiam divinis aut in Deorum numerum relatis, adsignatus. Exempla suppeditant *Heliodorus* (libr. IX. *Hist. Æthiop.*) *Florus* (libr. IV. cap. 2.) Hactenus de more gentilium, quem, subjicit *L. Fellerus noster*, si quis ad Christianos quoq; ex paganitate transiisse dixerit, non multum adeò a vero abhorreat. Christo enim & Sanctis radiosum caput attribui quis nescit. Conf. *Taubmann. ad Virg. Libr. III. Ænead. v. 148.*

Dn. Ursinus verò (in *Acerra Philol. Mantisf. Epigram. V. p. m. 505.*) alium erroris fontem aperiens: *μνίσκος*, inquit, vocant *Greci* lunulas illas aut acumina, quæ capitibus statuarum imponi solebant, ne insiderent iis aves, easq; fœdarent, aut conspurcarent, ut *Aristophanis Scholiastes* in avibus, & *Hesychius* referunt. Causam ignorantem pictores nostri etiam pictis imaginibus addidere, tanquam honoris insigne, cum esset Manifestum imbellium idolorum argumentum. Hæc *Dn. Ursinus l. c.* Alium adhuc ortum erroris ostendit *Martin. in Lexic. in voce Nimbus*, quò lectorem brevitatis causa ablegamus.

Quod in specie Salvatoris nostri depictam cum nimbo faciem concernit, aliam adhuc alii quærunte ejus originem, quam se invenisse credunt apud *Damascenum*, qui (libr. IV. de O. F. cap. 17.) memorat: **Abgarum** Edessenorum illum regulum misisse pictorem ad pingendam imaginem Christi. Cum verò pictor ille propter claritatem, quæ ex vultu illius resplendebat, hoc præstare non posset, quasi abstergendo Christus expressit sui ipsius imaginem, & sic desideranti **Abgaro** misit. Inde putant nonnulli pictores ansam cepisse pingendi Christum cum nimbo. Enimverò splendidum hoc esse splendidae faciei **Messiae** figmentum, nervosè docuit *D. Chemnitius* (part. IV. Exam. Conc. Trid. p. 44) & *Casan-*

& Casanbonus (*Exercit. AntiBaron. XXXI. ad ann. 31. no. 58. p. m. 210. seqq.*) Conveniunt igitur in eo, ut supra monitum, docti viri, errare pictores delineantes sanctos cum radios capibus, licet ex diversis fontibus erroris rivulos derivent.

JOHANNES EVANGELISTA JUVENIS.

II.

Nonnulli pingunt *Johannem*, scribentem Evangelium suum, *In specie Jo-*
juvenem & imberbem, quasi eo tempore, quo scripsit illud, tenera fue- *hannes.*
rit ætate, quod est insignis error & refutatu facilis.

Nam omnes Scriptores *ὁμοφύμαδόν* testimoniis irrefragabili-
bus demonstrant, eum jam decrepitam ætatem consecutum manum di-
vino scripto admovisse, licet de tempore scriptiois dissentiant, volenti-
bus aliis triginta, & quod excurrit, aliis verò sexaginta & amplius post
Christi in cœli adscensionem annis id factum, & quidem (*ut Epipha-*
nioplacet Heres. 51. ap. D. Paulum Tarnov: in Prolegem: in Johann.
cap. 2. p. m. 10.) post annum ætatis suæ nonagesimum. Quod utut pro
certo affirmare non velim, interim hoc certum, quod senio gravis divi-
nissimum Evangelium consignarit. Sufficiat jam saltem auctores no-
minasse, ex quibus multa argumenta depromere possem, si instituti ra-
tio id pateretur, & necessitas efflagitaret, conferantur enim *Baron: An-*
tiquit. Eccles. ad ann. 99. ejus Continuator Spondanus in Annal. Eccles:
ad eund. ann. p. m. 126. b. D. Paulus Tarnov. l. c. D. Dannhauer: Ho-
dosoph. p. m. 78. D. VValtherus officin. Bibl. p. m. 1060. Cl. Hottingerus
Histor. Ecclesiast. N. T. part. I. p. m. 30. aliique. Objectum princi-
palissimum non solum Johannei Evangelii, sed & reliquorum *θεοπνεύ-*
των scriptorum in N. T. est *Christus*, noster *μεσίτης & ικέτης*, Deus Bene-
dictus. Vis ejus imaginem à gentilibus olim in odium Christiano-
rum effictam & depictam, est

DEUS ONONYCHITIS.

Nempe in Christianorum opprobrium spurcissimus quondam
nebulo figuram pinxit, quæ auribus erat asininis, altero pede ungulata,
librum gestans, & togata; ejusmodi adjecta inscriptione: *Deus Chri-*
stianorum ONONYCHITIS. Alii scribunt *onocorsites*, alii adhuc ali-
ter; vide mox citandum Vossium.

III.

Historia
Evangelica
primaria
Persona.

C 3

Hanc

Hanc figuram, eiqve similes, exhibilat ipse gentilis poëta *Horatius*, ita in iudiciosissimo de arte poëtica libro canens:

*Humano capiti cervicem Pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas
Undiq; collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem, mulier formosa superne,
Spectatum admissurifum teneatis amici.*

Et quis sibi à risu temperare poterit tales picturas ridiculas contemplatus, ægri somniis similimas. Nam quod hanc attinet, traxit illa falsissimos colores ab opinione ridicula gentilium, qui Judæos & Christianos asinum pro Deo colere credebant, uti adferit hoc *Minucius in Octavio*: audio, inqviens, eos turpissima pecudis caput asini consecratum inepta, nescio quâ, persuasione venerari. Cujus opinionis meminuit quoque *Tertullianus*, somniastis quidam, inqviens, caput asinum esse Deum nostrum. Certe somniavit ita *Plutarchus*, qui audacter affirmat Judæos ἡμᾶν τὸν ὄνον ἀναφύνοντα πηγὴν αὐτοῖς ὑδάτος. Conf. *Cornel. Tacit. Histor. libr. V. de Orig. & Moribus Judæorum*, qui iudice *Cl. Seldeno* (de Diis Syr. p. m. 368.) alioquin ut historicorum est optimus, ita de Judæorum ritibus nugator summus. Monstrosam verò opinionem ὄνολατρείας Judæo-Christianæ juxta *Celeberr. Dilherr.* (*Elect. libr. II. c. 13.*) hauserunt Ethnici ex vitiosa interpretatione versus 24. Cap. XXXVI. Gen. ubi Moses Hebræorum Principum familiam describens: is est, inquit, Ana qui invenit אֵת הַיָּמִים in deserto, cum pasceret asinos Si beonis, Patris sui. Quæ verba אֵת הַיָּמִים cum hisce debeant legi punctis notata אֵת הַיָּמִים i. e. mulos, multi hoc modo legerunt אֵת הַיָּמִים i. e. maria, aqvas. Hæc itaque, pergit, cum ethnicis innotescerent, more suo quædam mutabant, quædam addebant. Quod Ana erat adscribendum, Mosi adscribebant, addo, quod ad Judæos spectabat, ineptè ad Christianos transferebant. (Vid. omnino *Selden*, de Diis Syr. Syntagm. II. p. m. 363. seqq. causam hujus permutationis dantem) ac asinis in auxilii premium divinos attributos honores mentiebantur. Plura habent de hoc figmento *Cl. Seldenus l. c. Vossius libr. III. de Idol. cap. 75. p. m. 134. seqq. Dominus Johann-Heinricus Ursinus Acerr. Philolog. num. 15. p. m. 90.*

IV.
Matth. I. 16.

JOSEPHUS SENEX.

Ut historia de nativitate Christi tantò gravior in tabulis appareat,

reat, B. Mariæ desponsatum virum *Josephum*, ut *silicernium* & *capularer*: senem depingunt. An bonâ fide, vix dici poterit.

Urgeo præprimis ἀγαθία. Sanè nullibi de decrepita senectute ejus, tempore nascentis Christi, in S. literis vel minimum extat jota, ideòque Pictoribus id non inde probantibus etiam non credimus. Nec probabile est, virum ferè centenarium & imbecillem senem (qvalem Picturæ repræsentant) adhibitum fuisse Mariæ custodem, cum fugiendum esset in Ægyptum cum puero & matre ejus, & inde redeundum.

Argumenta pro Pictoribus militantiâ, eaq̃ potissimum ex *Eusebii libr. III. Tom. II. adversus Hæreses contra Antidico-Mar. petita*, refutavit *Cl. id temporis M. Joh. Frid. Meyerus, nunc S. S. Theol. D. & Superintendens Grimensis (in pecul. dissert. Num Josephus tempore nativitatis fuerit Senex decrepitus? Lips. ann. 72.)* ubi inter alia contra Pictores allegat verba *Salmeronis*, celebris Jesuitæ ἀξιωματικῶς, quæ adscribere non pigrabor. *Quod attinet (inquit Tom. III. tr. 29.) ad ætatem decrepitam, illam h. l. refellemus. Nam imprimis isti Patres fortasse cogitarunt, servari aliâ ratione non potuisse sanctam & pudicam cum virgine conversationem, nisi tot annos contingeret. Quasi verò plus in eo potuerit natura frigida & senectus, quam gratia Spiritus S. aut quam meritum sponsæ ejus (quod fingit Mariolatra) cum plures senes inveniantur lascivi ac impudici. Cujus vestigia premens Johannes Hesselius Academ. Lovan. Doctor (in 4. Sent. dist. 28.) testimonium Eusebii (quod vel solum peperit hunc errorem) fabulam vocat, graviterque invehitur in Pictores: Confirmavit, dicens, fabulam Pictorum carnalitas, qui ex sua libidine de Joseph judicantes putant, non aliter eum continere potuisse à virgine, nisi senex fuisset. Quare meritò eandem Picturam correxit Celeberr. Dilherrus Disput. Academ. Tom. I. p. m. 71.*

CHRISTUS URANIUS INFANS.

Conceptionis Messiaë historiam tabulæ imprimentes quidam Pictores, infantem pingunt de cælo descendentem, & gerentem super humeris figuram crucis.

Non tangerem hanc effigiem, nisi monstri quid eidem subesse putem. Notum enim, olim docuisse quosdam Hæreticos, Christum non ex Mariæ substantia fuisse conceptum & natum, sed ex cælo carnem per Mariæ uterum solum, tanquam per canalem quendam ductam habere,

V.
Matth. I. 18.

bere, uti *Valentini & Marcionis* discipuli, magistros suos secuti, mentiti sunt. Quibus haut obscure abblandiri videtur hæc Pictura. Id quod nuperrimè prudenter monuit *Pl. Rev. noster Fellerus* (in quodam *Program. Publ.*) & ante eum *Celebris & facundus orator eccles. B. Strignitius*: es sind / inqviens, etliche Ketzer gewesen / die haben vorgeben / der Sohn Gottes habe die menschliche Natur mit vom Himmelbracht / und daher ist's kommen daß NB. die Mahler / wenn sie die Historie von der Empfängnis Christi mahlen wollen / ein solch Bild oder Gemählte zu machen pflegen / daß ein Kindlein vom Himmel kömmt / welches ein Creutz auff den Rücken trägt / und also herab fährt. (*Neues Jahr Strignit p.m. 66.*) Eadem Pictura ipsi *S. Antonio* quoque suspecta visa est, (*part. 3. libr. 8. cap. 4. §. 2.*) hinc nobiscum statuit, *illâ suspectam Valentini Heretici opinionem contineri.*

Evertit mendacem fabricam sancta pagina, quæ Christum ex Maria conceptum locis multis eisqve clarissimis adstruit. Vide Theologos passim.

VI. BOS ET ASINUS ALLIGATI PRÆSEPIO JESULI.

Luc. II. 7. Historiam Nativitatis Christi augent consortio *bovis & asini*, coll. cum *Habac. III.* & in præsepio ad bovem cubuisse & asinum. Verum enim verò (utor verbis *Celeberr. Dilherri*) reticere non possumus, quod opinio isthæc absque *Jes. I. 3.* *Scripturæ S. invaluerit fundamento.* Nihil certè de eo *Lucas*, qui *Christi nativitatem accuratè & propè curiosè descripsit.*

Unde autem bos iste & asinus prodire? Ex erronea *LXX-vi-*rali *Versione.* Hæc nempe verba *Habacuci III.* בקרב שנים תיירו i. e. ut *Hieronymus* veritatem *Hebraicam* respiciens bene vertit: in medio annorum vivifica illud, reddiderunt: ἐν μέσῳ δύο ζώων ψω-
θόν: in medio duorum animalium cognoscèris; Legentes nimirum שתים pro שנים & supponentes תיירו pro תיירו. Ex hæc paraphrasi conjuncta cum *v. 3. Cap. I. Jes.* cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepio Domini sui, hoc quod canimus (cognovit bos & asinus &c.) addo: quod depictum videmus, enatum est. Quod probè etiam advertit *D. Waltherus* (in præf. ad disput. de Immort. animæ & prætenfa *Ethnicorum Salute*) Mentio, inqviens, præsepis apud *Lucam* conjecturam peperit & opinionem, quæ postmodum in *Traditionem* abiit, ad præse-

præsepe illud, in quo cœli terræq; Dominus reclinabatur presentes fuisse non solum bovem, sed & asinum - - - & huc postea accommodari cœpta est sententia tam ex Habacuco, juxta Græcam versionem desumpta, quàm illa ipsiusmet Dei apud Jesaiam: cognovit bos possessorem &c. Subjicit postmodum: improbare amor veritatis nos cogit abusum dicti Jesaie. Daß sie einen Ochsen/ ait οὐδὲν φησὶ Marnixius facetè, und Esel zur Krippen bei ein klein Jesu-Kindlein / welches sie mit ihrem Athem erwärmen / gestellet / ist dasselbige auf den klaren Text Jesaia fundiret und gegründet / der da saget: Ein Ochs kennet seinen Meister wohl / und ein Esel die Krippe seines Herrn / aber das Volck Israël wills nicht verstehen. Bienenkorb part. II. cap. 14. p. m. 158.

Nimis ergo superstitiosus est Baronius (*Annal. Eccl. part. I. no. 3.*) & ejus Epitomator Spondanus, qui vitiosam versionem secuti pro vero dogmate eoqve in scriptura fundato, venditant, quod bos & asinus ad præsepe Christi fuerint alligati. Vid. B. Chemnit. *Harm. Evang. ad Luc. II. Casaubon, ad Annal. Baron. Exerc. II. an. 1. num. 3. p. m. 123. seqq.*

TRIGA MAGORUM CORONATORUM.

VII.

Ad Christum recens natum venisse leguntur Magi, qui eum non adorarunt solum, sed & muneribus donarunt. Qui depingunt hanc historiam, tres viros exprimunt cum coronis capitibus eorum impositis, binos candidos, unicum facie fuscum. Quamquam igitur animus non sit, in dubium vocare, Magos quosdam Bethlehemum, nostrum Jesum videndi causa, venisse; ambigua tamen & falsa sunt reliqua, quæ affingunt Pictores historiae. Nam unde probabunt ternarium Magorum numerum? Certè Scriptura tacente ita audacter fingere non licet. Si Patribus antiquissimis credimus, vix Magorum triga adseri poterit: Chrysostomus enim duodecim fuisse ex Scriptura incerta probat. Hospinianus veteres quosdam, quod 14. fuerint, adseverasse ait. Epiphanius, Hieronymi οὐχ ἔγωγε & amicus, plus ducentis annis post Irenæum, Molinaeo allegante, Magos illos Persicos fuisse quindecim, scriptum reliquit. Plures fuisse Ambrosius quoque adserit. Hæc de numero Magorum falso, quem ideò Casaubonus jure temerarium vocat (*Exerc. II. ann. 1. num. 19. p. m. 136.*)

Matth. II.
collat cum
Jer. LX. 6.

Ostendo porrò affingi ipsis coronas. Coronæ sunt Regum
D
infig-

insignia, concessa præter eos haut temerè aliis. Jam Magos istos Reges fuisse, Scriptura non indicat, nec aliunde accersitum testimonium rei fidem facile conciliabit. Verum quidem est, Magos apud Persas aliquando imperio præfuisse (vid. Justin. libr. I. cap. 9. Cic. libr. I. de Divin. aliosq.) sed probandum est, an tempore Christi Principatum ibi tenuerint? Quod ἀδύνατον. Plures rationes contra regiam Magorum biblicorum majestatem adduxit Magnif. D. Scherzerus noster in Annot. MSC. ad Cap. II. Matth. v. 2.

Pari improbabilitate laborat *fusca unius facies*. Siquidem cum patriam Magorum Persiam fuisse putem, secutus Præceptorem nostrum venerandum Scherzerum (qvil. c. id multis evincit rationibus) de *fusca unius facie* certè nihil dici potest, tantum abest, ut illam ita liceat pingere. Proinde meritò talium nugarum institores falsa excepit ironiâ Marnixius dicens: daß sie auß den dreyen Weisen aus Morgenland drey Könige gemacht / und den einen so Beer-schwarz / als einen Mohren / ist aus den Weissagungen Davids oder Salomons gefischet / die da sagen / daß die Könige aus Mohrenland Christum anzubeten kommen werden. Vid. seqq. l. c. & Conf. Casaubon. Exercit. II. Anti Baron. num. 19. p. m. 136. seqq. M. Andreae Kesleri Histor. Epiphan. cap. 3. p. m. 14. seqq.

VIII.

Luc. II. 25.

SIMEON CÆCUS SACERDOS.

Simeon ille justus, qui Dominum Jesum Christum in templo præsentatum ἠγκάλισατο, nonnullis in locis depictus conspicitur *vestitu sacerdotali, luminibus captus*.

Sunt, qui Simeonem Sacerdotum Ordini adscribunt, eruditi non pauci. Unicum juvat nominare Baronium, hanc sententiam extra omnem contradictionis aleam ponentem. Sed abundè confutavit eum Richardus Montacutius (orig. Eccles. part. prior. p. m. 161.) adductis rationibus à defectu testimonii Scripturæ; Silentio Patrum, eorumque sententia Baronianæ contraria. Sed nolim exprobrare Pictorum lineas, cum habitum Sacerdotalem Simeoni attribuunt, quia doctissimis viris de eo nondum lis est perorata.

Cecitatem contra quod attinet, ea non potest non improbari. & confutat illam ipse Baronius provocans ad Levit. XXI. 18. Et allegatus Rich. Montacutius Baronio in hoc adstipulatus *figmentum vocat ad cloacas, quò meretur, mittendum*, subjiciens ex parte contra Baronium

nium verba Baronii: *Utar itaque tua conclusione, gravissime Baroni, de cœcitate: cum nullus antiquorum Patrum Simeonis cœcitatis vel sacerdotii reperiatur adsertor: illam historiam velut apocrypham rejectam fuisse, argumento est.* Conjecturas de patre, & genere hujus Simeonis collegit ex Eruditorum monumentis *Polus synopsis. ad Luc. II. 25. p. m. 845.*

JOHANNES PELLE CAMELINA VESTITUS.

IX.

Johannem Baptistam *Camelinae pelli involutum*, ceu Satyrum *Matth. III.*
quendam exprimere consueverunt subinde colorum magistri.

Sunt, qui figuram, diluendam impræsentiarum à nobis, probant à vestimentis *Elie*, quem representavit noster. Eum enim dicunt fuisse usum pelle villosâ, nulla arte coriariâ præparatâ, aut villis exuta, innuente id *LXX-virali Versione*, in qua *Elias* vocatur *ἀνὴρ δασύς, καὶ ζώνην δερματίνην περιζωσμένον τὴν ὀσφύον αὐτοῦ*. Enimvero *Casaubonus* (*Exerc. XIII. ad Annal. Baron. ann. 31. num. 1.*) versionem cum fontibus conferens, ubi Propheta vocatur *יֵשׁוּעַ בֶּעַל שַׁי*, juxta *Ariam Montan. Vir pilosus*, deprehendit, nihil minus inde posse probari, quàm *Jesaiam* pelle nulla arte præparatâ indutum fuisse. Ipse videatur l. c. & conf. *Richard. Montac.* eum contra *Bulenger*: defendens. (*Orig. Eccl. part. II. p. m. 370.*) nec non *Polus* (*Synops. Crit. ad Matth. III. 4.*) qui ex *Spanhem.* eruditè de habitu *Eliæ* differit.

Sed mittamus vestimenta *Jesaiæ*, quæcunqve tandem illa fuerint. Hoc sanè demonstrare quis difficulter poterit, Johannem pelle *Cameli* vestis loco fuisse usum. Verba *Matthæi* cap. III. 4. hac de re sic habent: *εἶχε δὲ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλων: Habebat vestimentum suum è pilis Cameli.* NB. *ἀπὸ τριχῶν καμήλων*; non *ἀπὸ δερματίνου καμήλων* dicit Evangelista, dicturus sine dubio posterius, si pelle *Camelinâ* pilis non perpurgata usus fuisset. Clarè *Metaphrastes Syrus* vertens singularem *καμήλων* *Matth. III. 4.* & *Marc. I. 6.* in pluralem; ipse autem indutus erat vestimento pili camelorum. Secutus eundem *Beza* est nequicquam refutatus à *Lud. de Dieu*, cujus verba hæc sunt: *Neque enim pili multorum camelorum intelliguntur, qui ab eorum velleribus revulsi deinde texti fuerint; sed unius cameli pilosa pellis intelligitur, quam corpori suo circumjecit, & pelliceo cingulo firmavit.* Urget nimirum singularem *καμήλων*; quæ ratio tamen non adeò

stringit, cum & enallagē numeri frequens fit, & τείχες καμήλης idem dici possint ac τείχες καμήλαια, pili camelini. Signanter hanc exprēsit sententiam noster *Lutherus*, locum Matthæi sic Germanicè reddens: ein Kleid von Cameel Haren / & ante Luth. Norimbergic: derselb Johannes hat ein Kleid von Har der Kemlein / und ein schaffene Gürtel um sein Lend. Nec aliter P. P. locum acceperunt: de asperioribus, inquit *Auctor Op. Imperf. setis Cameli habuit Johannes vestimentum, ut ipsa asperitas ad virtutem patientiæ animum exerceret. Cui succinit Paulinus.*

*Vestis erat curvi setis contexta Cameli,
Contra luxuriam, molles duraret ut artus,
Arceretq; graves compuncto corpore somnos.*

E Recentioribus plures in scenam produci possent, si opus esset: Non de crudis, ait *Montacut. Camelorum pellibus illi vestes conficiebantur. (Orig. Eccles. part. II p. m. 370.)* ubi & refutat eos, qui ejus rigidum vestimenti genus in molle & delicatum vertunt. Nimirum statuunt quidam (vid. eos ap. *Polum Synops. Crit. l. c.*) Johannem vestem habuisse ex panno, qui contexitur ex camelorum pilis, delicato & molli, cui nomen Hispanicè Camelote; Italicè Zambelod, unde Germani Schamlet/Latini vocant vestem undulatam, quod ad undarum similitudinem picta sit, hos, inquam, refutat: non solum ridiculi, inquam, sed etiam impii sunt, qui Johannis hirsutum vestimenti genus in molle & delicatum, regium tantum non convertunt: ita ut undulatis tunicis de materia pretiosa, quam nos Schamlet appellamus, uteretur: cum nec habitus ille pœnitentiam predicanti congruat, & ipse Christus docuerit, eum nequaquam fuisse mollibus vestitum.

X.
Matth. IV. 6

CHRISTUS PINNIS INSISTENS.

Dæmon Salvatorem nostrum tentaturus eum in pinnas templi statuit. Ut ne quid intactum à pictoribus relinqueretur, in tabulam, in qua cernitur insistere pinnæ acuminato tecto infixæ (auf einer Sahne.)

Errorem deprehenderunt dudum Eruditi, & ostenderunt τὸ πτερυγίων malè exprimi figurâ pinnæ, quæ ædium nostrarum tectis infigi nonnunquam solet. Nam 1) talis locus intelligendus est, cui pedibus insistere quis possit; at pinnæ (die Sahnen) vix commodum aviculis subsidendi locum præbent, tantum abest, ut molem viri sustineant. Deinde 2) pinnæ nostris similes ædificiis Judæorum tribui nequeunt, quia

quia illa operiebantur non acuminatis tectis; sed planis (vid. num. seq.)
Cautissimè igitur eruditi hunc locum tractarunt. *Grotius* vocem
μεγυγίς vocat Hellenisticam adumbratam ex Hebræo פגג, quod o-
ram aut marginem significat; cui fynonyma sunt τὸ περιμεγυγίς, item
περιεγυγίς, Latini vocant circuitionem, eīnen Umgang/ & fatetur,
non definiiri posse, quenam pars templi fuerit. Plurimi putant fuisse id,
quod Hieronymus loriculam, LXXviralis Versio σεφάγην die Lehne
vocant, & erat ambitus ille, quo planum templi tectum ambiabatur, ne
quis inde posset decidere juxta præceptum Dei *Deut. XXII. 8. Nam*
quod ista lex in planis tectis requirebat, id in templi tecto ornatús causa
additum erat, ait Grotius in h. l.

TECTA APUD ISRAELITAS

XI.

ACUMINATA.

Mentio fiebat (num. antec.) ædium Israëliticarum, dicebaturq; , *Matth. X.*
discrepassè figurâ à nostris ædificiis. Id quod pictores rarò attendunt. 27. *collat.*
Nam plerumqve domos apud istam gentem usitatas effigiant ad figu- cum *Deutr.*
ram & similitudinem nostrarum ædium, tectis videlicet acuminatis. *XXII. 18.*

Mirum, quod non legerint præceptum Dei, quod extat *Deuter.*
XXII. 18. cum edificaveris domum novam, facies murum tecti per cir-
cuitum (Hebraicè פקעו quod variè vertunt; quidam reddunt
arctitudinem ab פקע angustia; alii *sepem* seu *peribolum*; alii
torquem, quod in modum torqv̄is domum ambiret, nonnulli *co-*
ronam, consentientes in eo omnes, ambitum denotari ista voce eīne
Lehne uti l. c. *Lutherus* benè vertit, cujus altitudo esse debebat mini-
mum tres pedes cum dimidio, juxta *Grotium* in h. l. & *Hebræos Inter-*
pretes) ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in
preceps ruente. Cui bono lata hæc architectonica terrestris lex fuis-
set, si more nostrate extruxerint domos suas Israëlitæ?

Sed tecta apud ipsos fuere plana, & ambulationibus accommo-
da. Hinc toties legimus in Scripturis de iis, qui in tectis ambulaverunt,
(1. Sam. IX. 25. 26. 2. Sam. XI. 2. XVI. 22.) aliaqve ibi egerunt, quæ
solemus & tantum possumus efficere in locis planis (Joh. II. 6. Jud.
XVI. 27. 2. Reg. XXIII. 12. &c.) Hinc dictum à Christo ad suos disci-
pulos, in tectis prædicate *Matth. X. 27. Nempe habuere plana tecta, ut*
in ipsis ambulare & versari liceret, inquit Menochius Not. ad
Deuter. XXII. 8.

LAZARUS IN DOMO DIVITIS FLAGELLATUS.

XII.
Luc. XVI. 21.

Geminum errorem in unica historia deprehendo. Lazarum delineant *jacentem in triclinio divitis, quem penes est, qui eum flagellis cecat.*

Bis, uti dixi peccatur 1) quod locant miserum in *conclavi Epulonis delicatissimi.* Abstergam colores spongiâ Dilherri: potestne quicquam ineptius, inquit *oculatissimus vir, aut cogitari aut fingi, quàm in triclinio divitis Lazarum delineare? Scilicet Janitores admisissent hominem ulceribus scatentem, dorso ipsi luituri, quicquid oculos nauseabundi Domini offendisset. Canes vero immanes illi vilatici & venatici num oblectabant Dominum cœnantem. Appage. (Dissert. Academ. Tom. I. p. m. 723.)* Deinde 2) errant appingendo *flagellantem, & flagellis abigentem famelicum Lazarum.* Adhibebo hîc spongiam *Erasmi Schmidii* ad hos colores delendos: *pictores, ait, qui sibi nihil non licitum existimant, ministros quosdam flagris Lazarum à foribus arcetes nobis effingunt. Verùm quod pace illorum dixerim, admodum si non fallunt, tamen falluntur.* Et paulò post ostendit, Lazarum καὶ ἡμέτερον ad fores divitis jacuisse, sicut dives καὶ ἡμέτερον epulabatur, ut ex quotidiana præsentia canes domestici eum nôssent, & ulcera ejus tanquam hominis notissimi blandè lingerent. Finge jam semel eum flagris abactum, putandumne, eum rediturum, fuisse? Hinc repetit laudatus Vir denuò censuram: *malè ergo, inquit, ens, pictores ministros quosdam foribus divitis affingunt, qui flagris Lazarum ulcerosum abegerint. In Not. & Animadv. in Nov. T. ad cap. XVI. Luc. v. 21. p. m. 590. a. & 592. b.*

FRONDES ET VESTES SUB PEDIBUS ASINI.

XIII.
Matth. XXI.
21.

Christo Hierosolymam ingressuro legimus à popello non solùm *Osanna acclamatum, sed & ipsius asini pedibus vestes & ramos substratos, ut volunt pictores, qui historiam ita delineant, ut super vestes & frondes humi jacentes progredi fingatur asinus Christum vehens.* In dubium vocat picturam *Celeberr. Lichtfoot,* cujus verba ad *Matth. XXI. 8. κλάδεις ἐσθρώνυον ἐν τῇ ὁδῷ* adscribam tantùm, *Lectori liberum relinqvens, quid sentire velit. Ita autem loquitur: ramos straverant in via &c. non quod vestes & ramos in ipsa semita sub pedibus asini*

asini calcandos sternerent (hoc forsitan equitantem prosterneret) sed juxta viam tentoriola & tabernacula ex vestibulis & ramis confinxerunt ad morem festi scenopegiae. Hor. Hebraic: in Evangel. Matth. p. m. 228.

CHRISTUS AD MENSAM CUM CONVIVIS SCAMNO INSIDENS.

CHRISTUM novissimè cum discipulis suis cibum capientem pingunt scamno insidentem, adfidentibus eodem modo reliquis convivis, discipulis; Johannem verò in gremio Salvatoris velut infantem, repræsentant.

Insignis certè & palpabilis error! Constat enim Judæos more Romanorum (de quo vid. Petr. Ciaccon. de modo conviv. Rom. Lips. libr. III. antiqu. lect. Stuck. libr. 12. Conviv. c. 34. Rosin. lib. IV. Antiq. c. 28.) non adfuisse aut confuisse circa mensam scamnis insidentes, sicut nos hodiè, & olim Græci, sed certis toris circa mensas, longè aliter, quàm nostræ quadratæ aut rotundæ sunt, formatas. Patet id inter cetera ex phraseologia sacra, quàm Græcè docti nôrunt hunc mensis accumbendi modum exprimere; Sæpè enim occurrunt voces ἀνακλιεῖσθαι, καὶ ἀκλίναςθαι, ἀκλίνας, quod notat lectum, in quo recumbentes cibum sumebant. Hinc quòd charior quis, ita in accubitu erat vicinior. Et sensu biblico, uxor finis, vir finis (Deutr XIII, 6. XXVIII, 54. 56.) pro carissimis usurpantur, quòd in alterius sinum ad mensam soliti sint recumbere. Eâque periphrasi Lazarus in sinum Abrahamæ dicitur translatus, ad convivarum accubitûs similitudinem, Luc. XVI, 12. Modum discumbendi breviter delineat D. Pfeifferus (dissert. de Antiq. Jud. Rit. pos. 7.) non in scamnis ad mensam, sed in pulvinaribus sive lectulis quos Cubita Apulejus, Accubita & Accubitalia Lampridius vocat, accumbebant in latus sinistrum sese reclinantes, ut dextrâ cibum capere possent, capitibus versus epulas, & pedibus extrorsum porrectis. Dispositi erant vel in circulum juxta quosdam, vel ad formam τὸ σίγμα & reclinati. Conferantur, quos citat istic loci multiscius vir, Buxtorf. Lexic. Talm. p. 203. 1333. 1415. Flac. Clav. Baron. Ann. Cap. 34. num. 40. Casaub. Exercit. 16. num. 21. addo Exercit. 22. ad ann. 24. num. 36. p. m. 350. sqq. Villalpandus ad Ezech. XXII, 41. Lichtfoot. Hor. Hebr. nempe ad Matth. Cap. XXVI. 20. p. m. 290. seqq.

PANIS CRASSUS.

Accubitum Christi vindicavimus; de panis, quò isto tempore, cum

XIV.

Matth.
XXVI. 21.

XV.

Matth. XVI.

26.

cum suis vescebatur, figura dispiciendum, qualis fuerit. *Crassum* figurant *istum panem*, nostris quàm similitimum.

Vix sustinebit hæc pictura censuram alicujus rituum Judaicorum gnari. Quippe constat, Judæis in usu fuisse panem βλωμιλιον, buccellatim distinctum, κλασόν, ad fractionem idoneum. Confirmat hoc dictio Biblica, sæpè enim usurpantur de comedentibus verba ista, κλαῖν (Matth. XXVI. 26. Marc. VII. 10.) κατὰ κλαῖν (Marc. VI. 41.) ἢ κλαῖσις (Luc. XXIV. 35.) Inde κλάσματ'α reliquix fracti panis. (Matth. XIV. 20. XV. 37.) Jam non video, quomodo frangere panem nostris similem potuissent ab crassitiem? Proinde non dubito fidem adhibere *Rabbino* apud *Baronium* (ad ann. 58. no. 64.) antiquitatis Judaicæ, teste eodem *Baron. peritissimo*, qui dixit, *solitos esse Judæos panes ita fingere, ut profundæ lineæ in decussim trajectæ illos ita distinguerent, ut crebræ ac minutæ tanquam areolæ conclusæ lineis per totam panis faciem relinquerentur, quæ buccelle vocantur.* Figuram exhibet libellus *Celeberr. Dilherri*, cui titulus: *Himmilisches Freudenmahl* p. m. 385. ubi errorem pictorum leviter simul tangit. Plura congeffit de hoc Judæorum more *Casparus Sanctius in Comment. ad Acta* p. m. 90. *Gerhardus in Harm. D. Danhauer. Hodos.* p. m. 1212.

CHRISTUS IN TORRENTE JACENS.

XVI.
Joh. XVIII.
1. collat. cum
Pf. CX. 7.

Magdeburgi in cœnobio S. Mariæ Magdalen. depictum se vidisse refert *B. Dn. D. Bakius* Christum *jacentem in torrente, multis acutis & præacutis silicibus oppleto*, adjectis his verbis Saxonice: *Hie wert de leve Herr va den Dëlberge en in de Bache stott / nach den Worden Pf. CX. ad cujus versum ultimum respicitur, in quo hæc leguntur verba: de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Natalitia figmenti recenset *Michaël Menothus in Concion. Pas-sional. ann. 1525. Parisiis impressis*, ubi narrat, inter Oliveti montem & Hierosolymam fuisse torrentem acutissimis silicibus repletum, in quem cohors Romana, quæ Dominum captivum duxit, eundem detruserit, & vulnerasse quidem silices Salvatoris manus, pedesque, caput verò illæsum mansisse, juxta illud: *de torrente &c.* Enim verò meritò hæc, ut nugas ridet laudatus *Bakius*, cum omnia fingantur ἀτεργαφῶν, quæ uti accuratissimè levioris momenti gesta in Christi passione continent, hujus facti non meminerunt, ne verbo quidem. Nec juvat causam
locus

locus è Psalmo allegatus, cujus longè alium sensum esse Commentatores diducunt passim, qui hîc consulantur.

VIRGÆ LOCO FLAGELLI.

In adumbratione flagellationis instrumenti, quo Christus tempore passionis fuit cæsus, variare pictores subinde animadvertere licet, *virgas* quibusdam, aliis contra *flagella* pingentibus.

Illos errare, qui *virgas* pingunt, non dubitare licet, modò inspicatur Græcus textus, qui nobis tantum in N. T. authenticus: in quo legimus vocabula *Φραγέλλων*. (Matth. XXVII. 26. Marc. XV. 26.) *μαστυρόν* (Luc. XVIII. 33.) quæ constanter in N. T. notant *caesionem, quæ flagellis perficitur*. Ut non opus sit provocare ad ritum Reipubl. Judaic. in qua morem flagellandi tantum obtinuisse confirmant *Dilherr.* (in *Atrio Lingu. S. part. I. p. 179. conf. ejus Elect. libr. II. c. 18.*) *Buxtorff.* (*Synagog. Judaic. cap. 20.*) *D. Ægid Strauchius* (*Dissert. de ritu flagell. apud Jud.*) Regeris: more Romano Christum fuisse cæsum. Resp. At Romani morem Judæorum imitabantur tunc temporis. Vid. num. seqv.

XVII.

Matth.

XXVII. 26.

Marc. XV.

26.

Luc. XIIX.

33.

BINI FLAGELLATORES.

Contemplati sumus num antec. instrumentum flagellationis, idque deprehendimus falsum; falsa in eadem historia depicta occurrunt plura. Ostendam: stat *Christus manibus in tergum versis ad columnam proceram alligatus, quem penes duo, miserum cædentes, conspiciuntur*.

Nihil jam dicam de *columna* an ita procerâ effingi debeat figurâ, quod vero non videtur simile, per mox dicenda; sed, præter necessitatem flagellantium augeri numerum, jam demonstrabo: Quæso enim, cur fingunt duos, cum unus cædendo fuerit. Imò unò plures lex Romanorum, ad quorum morem flagellatum *Hieronymus*, & ex eo *Richard. Montacut.* (*Orig. Eccles. Tom. I. part. post. p. m. 390.*) affirmant, non reqvirebat. Nota sunt eorum solemnia: I Lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito. Audis hîc *virgas*, quas seqviora tempora abrogârunt, substitutis in earum locum *flagellis*, dicente *Hieronymo*, cujus verba hæc sunt: *sciendum est, Pilatum Romanorum legibus judicium ministrâsse, quibus sancitum erat, ut, qui crucifigitur, prius flagellis verberetur, apud Rich. Mont. l.c.*

XVIII.

ibid.

E

Apud

Apud Judæos similiter unus licitor flagellandi negotiò defungebatur. Juvat hac de re audire *Buxtorff*, qui ipsum supplicii modum nobis talem ex *Mischna* eruit: quomodo cadunt ipsum? *Ligat Licitor ambas manus ejus ad lignum terre infixum altitudinis sesquicubiti, ut reus ipsi inclinatus possit incumbere. Minister cætus judicialis ad femora usque corripit sive detrahit ejus vestes; quæ parum interest, sive extra suturas rumpantur, sive per suturas dissiuantur. Post fontem lapis positus, cui insistit minister, habens in manu sua lorum bubalum oblongum, cui utrinque addita loræ duo minora, alia asinina bifida, quæ, ut necessitas postulat, sursum vel deorsum, veluti cingula ephippii, aut stapedes possunt promoveri, contrahi & laxari &c. Vid. *Dilherr. Elect. libr. II. cap. XII. p. m. 200. seq.* Ex allegatis simul cuivis patet, errare pictores columnam sesquicubitalem mensuram multum excedentem exprimendo.*

SOCIA CRUCIS PORTATIO.

XIX.
Matth.
XXVII. 32.

A Christo flagellato devenimus ad crucifixum. Multi hinc errores sunt notandi. Ordinarè à crucis *lacione*. Pingunt Christum & Simonem Cyrenæum extra urbem sociis humeris infelix lignum unum bajulantes.

Disertis verbis *Matthæus* picturæ contradicit, dicendo, extra portam Simonem fuisse à Judæis adactum ad suscipiendam crucis molem, ut illam solus sustineat. In Græco enim textu est verbum *diçw*, quod non solum oneris *lacionem*, sed & ab altero *ablationem* significat. (*vid. Dn. D. Olear. Theol. Exeg. p. m. 255.*) Igitur ita tulit crucem, ut simul abstulerit, vi istius vocis. Eadem est sententia *Patrum* apud *Gerhard. Harm. Evangel. p. m. 787.* Quos & ipse cum plurimis aliis sequitur, improbens eo ipso tabulam pictorum. Ceterum de portatione crucis cruciariorum vid. ex antiquitate differentem *Dilh. Dissert. Academ. Tom. I. p. m. 212. seq.*

CRUX COMMISSA.

XX.
Matth.
XXVII. 35.

Variè pingunt ipsam Jesu nostri *εσυργω* *Jesus* crucem. Videamus, quæ figuræ veritati maximè accedant. Distinguit sagacissimus Antiquitatum indagator *Lipsius* inter crucem *commissam* & *immissam*. Illam appellat, cum ligno erecto brevius alterum superne & in ipso capite committitur, sic, ut nihil extet. Quæ forma examussum est in litera T. Hanc vocat, cum ligno erecto transversum alterum injungitur, &

imitti-

emittitur, sed sic, ut ipsa fecerit. Ita eminentia hinc semper aliqua, & capitellum, aliter quam in commissa. De Cruc. libr. I.

Jam in postrema; nempe immissa; mortuum, qui morte sua nobis vita; probat l. c. multis argumentis, quæ, ut breves simus, hinc omitimus, ablegantes hujus rei cupidum ad ipsam Auctorem, aliosque, *savegdiã / e / i / π / a / s*. Colligitur exinde multorum pictorum error, qui delineant Christum *cruci commissa & capitelto destituta* affixum.

CHRISTUS TRIBUS CLAVIS AFFIXUS.

XXI.

ibid.

Tertium subjungo errorem in cruce Christi depicta observatum. Delineant Salvatorem *cruci affixum tribus clavis*, quorum unus in plantis, duo in palmis conspiciuntur.

Hinc accuratiores rituum antiquorum urinatores dudum defectum unius clavi notârunt, quò alteruter pedum Christi ad crucem fuit affixus. Bini enim Christi pedes totidem clavis ad suppedaneum (quod, ut h. l. Jobiter notem, in plurimis deest crucibus depictis) fuerunt affixi. Cujus sententiæ patronos possum nominare viros summos; *Scaligerum in animadversionibus Eusebianis*, & qui eum ætate longè sunt antegressi, *Irenæum & Justinum*. Quos secutus *Nonnus* in paraphrasi sua *Johannæa* (p. m. 230. v. 37) canit:

Δραγίς θανάτῳ ταδεῖς τεράζονι δεσμῶ. i. e.

In ligno facta morte extensus quadrijugo vinculo sc. pereat.

Unde constat *Casaubonum Lipsii* vestigia prementem perperam. *Nonnum* vulgaris opinionis adsertorem constituisse, quò *εγκληματι* vel solus adductus versus eum liberare potest. Sed non hi soli quaternarium clavorum numerum defendunt; faciunt id quoque alii. *Gregorius Turensis*: *Clavorum*, ait, *Dominicorum* quòd quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis. Et *Cyprianus*, melior majorque auctor *ωληθυλικῶς* scripsit: *clavis sacros pedes terebrantibus*. Idem *Plantus* ex more adstruere videtur:

*Ego dabo ei talentum primus, qui in crucem excurrerit,
Sed eâ lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.*

Clavorum, inquit, *Richard. Montac.* (Orig. Eccl. Tom. I. part. post. p. m. 393.) *Dominicorum*, quòd non tres, ut vulgò fingunt, sed quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis. *Baronius* insuper provocat ad antiquissimas imagines, Christum qua-

tuor clavis ad crucem affixum repræsentantes (*ap. Casaub. Exercit. 35. ad ann. 34. no. 118. p. m. 451.*) Ipse memini, me antehac *Numburgi* in templi cathedralis vestibulo videre è ligno formatam crucem, carie undiqvaqve exesam, quod antiquissimi operis indicium est, cui Christus affixus conspicitur quatuor clavis, ad eandem prorsus figuram, quâ citati auctores crucem volunt effictam ac depictam. Antiquiora monumenta collegit *Philologorum Phosphorus Lipsius & ex eo Celeb. Dillherr. Disp. Acad. Tom. I. p. m. 506. seq.*

XXII.

Luc. XXIII.

v. 27.

Marc. XXV

v. 22.

Joh. XIX. 17.

LATRONES CRUCIBUS ALLIGATI.

Cum Christo duos latrones, capitali sententia damnatos, crucifixi erunt Judæi, unum à dextris, à sinistris alterum, attestante S. Scriptura. Hos nonnulli pictores coloribus vivis adumbraturi, Christum quidem effingunt clavis cruci affixum; enimverò *latrones funibus ligno fatali alligatos.*

Cur alia forma crucifixos exhibeant latrones, alia Christum, nullum idoneum producere possunt argumentum. Certè ut eodem in loco, & eodem supplicio animadversum in omnes tres: ita quoque & eodem modo formaque crucifixi omnes, quod haud obscure innuunt, Evangelistæ, utentes eodem verbo *συρῶν* in descriptione crucifixionis Christi & latronum.

Quid? quod ipse *Nonnus* (*in Paraphr. Joh. XIX. p. m. 232. vers. 23.*) expressè, latrones *κέντηγες ἀνλήυποις*, (*stimulis renitentibus, juxta versionem Sylburgi*) quâ voce *ῶδφφράσφ* eleganter clavos, cruci affixos fuisse dicat. Adscribam ejus versus:

Κέντηγες δ' ἀνλήυποισιν ὄπι συρῶιο δεθέντας
Νυκλιλόχους δύο φῶτας ἐνὶ ζύνωσαν ὀλέθρω
Γείτνας ἀλλήλοισι.

Quare sine ratione pictores Christum aliter ac latrones crucifixos fingunt & pingunt. Quod benè observavit quoque *Richard. Mont.* (*Orig. Eccles. Tom. I. part. post. p. m. 393.*) qui hujus furfuris picturas jure perstringit tanquam *proletarias & minus accuratas.*

XXIII.

ibid.

CRUX ABSQVE SEDILI.

Alium adhuc errorem in cruce nostri Redemptoris observo ex *Tract. D. Georg. Calixti Acad. Jul. quondam PP.* qui ex pluribus Patribus probat, *lignum sive palum medio crucis stipiti fuisse impactum,*
cni

cui infederit & quasi ineqvitârit crucifixus. *Quæres* (utor ejusd. verbis) *certa est, & testibus exceptione majoribus comprobata.* Ita enim, *Justinus in Dial. Tryphon.* hac de re disserit: *crucis lignum unum arretarium est, cujus pars summa tanquam cornu eminent -- καὶ τὸ ἐν μέσῳ πηγνύμεθ' ὡς κέρασ, καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἴσιν, ἐφ' ᾧ, ἐπολδύηται οἱ σω- εῖς μύθοι καὶ βλέπειται ὡς κέρασ, καὶ αὐτὸ σὺν τοῖσ ἄλλοισ κέρασι συν- εχηματισμένον. i. e. Et quod in medio impræctum est lignum ipsum etiam instar cornu eminent, in quo vehuntur, qui crucis supplicium subeunt, & cum aliis cornibus junctum & conformatum ipsum quoque ut cornu conficitur.*

Sed ubi sedile istud in crucibus pictis? Vix unquam hæctenus à Pictoribus fuit observatum & depictum, adeò ut citato D. Calixto non sine ratione mirum visum fuerit, *quæ factum, ut cruce, quas postea Christiani sive pingerent sive fingerent, sedili isto omnes carerent.* Nihilio, sententiam Calixti in dubium vocanti, satisfecit abundè Thom. Barthol. Caspari Filius, in *Tr. de Cruc. Hypomnem. I. §. 4. p. m. 29. seqq.*

EQVES LATERIS CHRISTI PERCUSSOR.

XXIV.

Crucifixi Christi latus transfossus lancea fuisse à quodam milite *Jos. XIX. 34.* testatur Johannes (cap. XIX. 34. seqq.) quam historiam adumbraturi Pictores *equum delineant, cui insidet miles, ut adeò equitem fuisse arbitrentur.*

En equitem pro pedite! *Pedes* certè id facinus perpetravit. Audiamus *θεόπνευστον, & αὐτοπῆτην Johannem: εἰς Ἰωὺν σεφλιωτῶν λέγει ἡ αὐτὸ τὴν πλευρὰν ἐνυξε.* Vocatur iste miles *σεφλιωτης*, quod vocabulum absolute positum constanter notat *peditem*: equites enim Græcis *ἰππεῖσ* dicuntur. Neque equites ad reos custodiendos, sed pedites expetiebantur à cruciariis. Huc accedit, quod apud veteres Romanos pedites hastis instructos fuisse, non equites, auctores demonstrent. Vid. *Varro libr. IV. de Lingua Lat. ubi ait: Hasta dicitur, quod stans solet ferri.* Egregius locus apud *Livium libr. VIII. ubi de instructione aciei contra Latinos agitur, extat: ubi hic ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant. Tum Principum pugna erat.* Non igitur sine causa Cl. *Salmasius* invehitur in Xaverium Jesuitam,

vi in historia Christi Persica à Lud. de Dicu edita, notisq; illustrata
 hunc militem equo insidentem sistit: *Tu vis, inquit, non peditem fu-*
isse, sed equitem militem illum, quem Scriptura dicit venisse, ut latro-
ribus, & cum Christo crucifixis crura frangeret. Quo illud argumen-
to? Equitem sanè fuisse, qui latus Christi lancea aperuit, historiam
Christi Persicam à Xaverio descriptam tradere ais, sed bene addis: Xa-
verium divinasse. Ego vero dico, pro ceteris suis dictis, & hanc im-
posturam esse Loiolita summam. Miseros illos populos, quos tales
Evangelistæ doctrina Christi imbuendos suscepere. Evangelium illud
Persicum mendacis refertissimum etiam hic nobis imponit, dum pro pe-
dite equitem supponit. In Epist. altera ad Bartholin. Conf. omninò
Excell. Dn. Sagitt. Diss. de Lancea, qua latus Christi perfossus.

XXV.

MARIA APOSTOLORUM REGINA.

Act. II. 1.

In festo Pentecostali novimus super Apostolos effusum fuisse
 Spiritum S. quam historiam quando effigiant Pictores repræsentant A-
 postolos devotè orantes, medium inter illos locum occupante B. Mariâ.

Adscribam censuram Beza tantum: opinor, inquit in Notis ad
 Act. II. eos pictores ridiculè facere, qui, cum hanc historiam pingunt,
 solent Mariam matrem Domini in medio Apostolorum collocare, nimi-
 rum ut eam etiam collegii Apostolici reginam faciant.

XXVI.

LINGVÆ SUPER CAPITIBUS APOSTOLORUM IGNITÆ.

Act. II. 3.

Memoratur in eadem historia, divinum Spiritum apparuisse &
 confedissee super Apostolos, quorum lingvæ visæ sunt dispersitæ *ωσεί*
ωτ' ἄγ. De igneis ergò lingvis quæritur, ubi apparuerint, an in Apo-
 stolorum ore, an verò super capitibus? Communiter Pictores eas lo-
 cant super capita, nec sine suffragiis Patrum id faciunt. Ita Cyrill. Hie-
 rosolym. sedit, inquit, super illos, ut novæ coronæ spirituales per lingvas
 igneas imponantur capiti illorum. Sic Mantuanus libr. VI. Fast.

Visæ e iam lingvæ ardentes volitare per auras,

Et super ora virum volucris considere lapsu.

Cui succinit Drepan. Florus in Exhort.

Cum vehemens subito sonuisset ab aethere flatus,

Fulsissetq; omni vertice lingua rubens.

Hinc

Hinc, ait non nemo, arripuerunt Pictores ansam linguas illas sursum flammantes, & pyramidalis figura ex capite in acumen pingendi.

E contrario multi improbant ut erroneam hanc figurationem, dicentes, linguas ignitas visas fuisse in ore Apostolorum. Pro qua sententia (verba sunt sagacissimi in conjecturis viri Dn. Ursini) militat S. textus ὁ φθῆσαι αὐτοῖς, inspectæ sunt illis, non super illos aut in capitibus illorum Lingvæ, quæ in proprio stant significato, à quo, nisi urgeat necessitas, non est recedendum, tanquam igneæ, ne putes ignem verum & naturalem fuisse. *Analect. libr. VI, c. 38, p. m. 386.* ubi vide & rationem, & Interpp. consensum & typum, quibus hanc sententiam confirmat. Fons erroris iudice laudato Dn. Ursino est ignorantia ellipseos Hebræis usitata, quia enim dixerat S. Lucas: & inspecta sunt illis lingua dissecte, & sedit super unumquemque eorum; rati sunt, illud verbum sedit de antecedente igne dici; cum de Spiritu S. predicetur, de quo statim: & repleti sunt omnes &c. Alias interpretationes phrasæ ὁ φθῆσαι αὐτοῖς vid. prolixè recensitas à Dilherro Dissert. Acad. Tom. II, p. m. 119. seqq. Nimum etiam se probat. nobis κεισῖς accuratissima nostri Carpyonii in suprâ allegata Dissert. de Mose cornuto, ubi dicit, Apostolos eodem modo, quò Moses, radiasse in tota facie. Ut enim, inquit, ab Hebræis וְנִשְׂרָף pro flamma ignis adhibetur (Jer. V. 21.) ita γλῶσσαι πυρὸς nihil aliud sunt, quam flammæ quædam scintillantes à pyramidalis ignis formæ ita dictæ, quia extra ignis flamma instar lingvæ projecta est. Quam sententiam nuperrimè calculo suo probavit Magnif. D. Seherz. in Not. ad Cap. III. Matth. v. 11. Cui si accedas, tanto extantior tibi videbitur Pictorum error.

SAUL EQVES.

Saul, ex quo postmodum ἐκλεχθῆν Dei σκῆυος factum, adhuc in gregem Christi.

XXVII.
Act. IX. 2.
seqq.

ὄμβρομον ἐν στένοισιν ἀναπνεύων ἀγῆα,
Cum iter Damascum sum comitibus faceret, equo insidens effigiatur à Pictoriæ artis alumnis, uti vel videre est in tabula ex parietibus Auditorii Majoris P. P. Collegii Lips. pendente.

Penitius aliquantò intuenti πρῶτον ὄπτον figuræ à Luca Pictore (ut volunt quidam, quàm benè, non disputo) emendatissimo delineatè in penicillò erroris nesciò, suspecta multum ista Pictura redditur. Si quidem si bene excutiantur Act. IX. 1. seqq. consignata, dicendum potius

potius erit, pedestre Paulum fecisse iter, tantum abest ut eqvo vedum inde exsculpere liceat. Verbum *ποδῆς* *ἰτα* generale est, quod ibi legitur, quemlibet proficiscendi modum innuens. Iter pedestre verò arguitur, cum dicitur, quod Paulus consternatus ex circumfuso de cælo lumine in terram ceciderit. Non memorat eqvum *Lucas*, Paulum seforem excutientem, memoraturus eum certè, si adfuisset; Sed quod affuisse fingatur, patet porro inde, quia Paulus ex lapsu vitare corporis læsionem & effractionem vix sine miraculo potuisset. Quid? quod Paulini itineris comites disertis verbis legantur *stetisse* (*εἰσηκονοῦν*) stupefacti audientes vocem v. 7. Jam Paulum eqvitasse, sociis pedestre iter facientibus, simile vero non est. Imprimis (quod omnem dubitandi scrupulum videtur tollere) quia dicuntur illi ipsi comites Paulum à Paroxysmo respirantem *manu duxisse* (*χερσὶν ἄγωσαν*) Damascum v. 8. quomodo verò manu duxissent eqvo infidentem! Cur hominem penè exanimem & vix spiritum trahentem ad molestam viam emetendam impulissent, quem eqvi ministeriò usum sine labore deducere in diversorium valuissent? Proinde verissimè hâc vice cecinisse, quicumque etiam cecinerit, Poëtam arbitror:

*Mentitur Pictor, Paulum qui pingit equestrem,
Cum clarè constet, quod fuit ille pedes.*

CHRISTUS INTERCESSOR SUPPLEX.

XXIIX.

Rom. IIX. 26

1. *Joh. II. 1.*

2. *seqq.*

Constat Christum ad dextram Patris sedentem in cælis intercedere pro hominibus, ideò & Pictores intercessorem hunc delineare solent ita, ut prostratus jaceat supplex coram patre, ad ejus genua ad-volutus.

Hanc servilem & Salvatore in summo majestatis fastigio constituto indignam imaginem malo *Gregorii Nazianzeni* verbis (*orat. XXXVI.*) quam meis diluere: *Non fas est, inquit piissimus Doctor, cum interpellationis vocem audimus, animo concipere (multò minus pingere) Christum nostri causa ad pedes æterni Patris se advolventem; procul sit ista servilis suspicio, spiritusq; indigna: neque enim patris est hoc exposcere, aut Filii pati, ne de Deo cogitari pium & æquum est.* In eandem sententiam pronuncians *Cl. Espenceus* (*libr. de Christo Mediat. c. 8.*) *Non sic, ait, precatur, ut prostratus jaceat supplex coram patre, advolutus ad ejus genua, cum magis sedeat ad ejus dextram. Con-*
templa-

templatio, ut gloriosa etiamnum Mediatoris humanitate, nedum divinitate, indigna, ita non tam ex scripturis, quam NB. Picturis desumpta, quæ verba ut egregia commendat B. D. Danhauer Hodosoph. p. m. 724.

MORS SCELETON.

XXIX.

Mortem delineaturi Pictores exprimunt *σκέλετον armatum Apoc. VI. 8.* magnâ falce, capiti superimposita est clepsydra. Differt hoc simulacrum ab imagine mortis gentilium, qui pingebant istam cum dentibus immanis belluæ ac manuum ungvibus aduncis, uti Pansanias refert (*Prior. Eliac. p. m. 299.*) τῆς inqviens πολυνείκῃς δὲ ὀπιθεῖν ἔσηκεν ὀδόντας τε ἔχουσα ἔθεν ἡμερωτέρῃς θηρίῃς, καὶ οἱ καὶ τῶν χειρῶν εἰσιν ἐπικαμπεῖς οἱ ὄνυχες, ἐπίχρασμα δὲ αὐτῆς εἶναι φασὶ κῆρα, i. e. à tergo autem Polynicis adsidet quædam dentes habens haud minus belluæ immanis, manumque ei ungvæ aduncæ. Inscriptio verò indicat esse *Parcam*. Jam per *Parcam* ipsam mortem intelligi, refert & probat *Vossius lib. IX. c. 39. de Idolol. p. m. 607.* Differt à visione apocalyptica, mortis simulacrum exhibente, à quo longè abeunt pictores.

Nos meliora edocti è sacris literis, novimus mortem non esse suppositum aliquod, sed λύσις anima, è corpore egredientis. Quare improbanda est pictura potissimùm posterior, ut fallissîma. Priorem verò quod attinet, admittimus eandem, si per illam, quid mors effectivè sit, exprimere velint Pictores; sin malunt haberi pro alicujus suppositi reverà existentis imagine & morte formaliter tali; aut pro ὄραματος apocalyptici delineatione (ut falx & clepsydra morti data haud obscure innuunt) meritò rejicitur.

CHRISTUS SUPER IRIDE

SEDENS.

XXX.

Tabulæ continententes reditum Christi ad judicium, repræsentant *Apoc. IV. 3.* Salvatorem in iride velut tribunali sedentem. *collat. cum*

Utut aliquid mystici his coloribus subesse nonnulli existiment, (*vid. omninò Dn. Ursini Anal. lib. IV. c. 33. p. m. 377.*) Vix tamen adducor, ut credâ à Pictoribus intendi. Dicerem potius, deceptos fuisse loco *Apoc. IV, 3.* ubi Johannes legitur in Spiritu vidisse *Sedentem supra sedem, qui sedens similis erat adspectui lapidis, Jaspidis & Sardini, & iris erat in circuitu sedis, similis visioni Smaragdinae.* Hanc visionem puto à pictoribus transferri ad effigiandum Christi reditum ad judicium. Quâ fide, jam dispiciendum.

Matth. XXV. 31.

F

Certum

Certum est, istud *ὄραμα* minimè prælusisse redituro ad judican-
 dum orbem Christo. Id quod Commentatores diducunt: *non potest,*
 inquit *Alcazar* (in *hl. p. m. 33.*) esse Christus ille, qui sedebat in throno.
 Christum enim in illa visione representabat agnus, de quo dicitur *Cap.*
V. 7. & venit & accepit de dextra sedentis in throno librum. Inquam
 sententiam tantum non omnes Interpretes eunt. *Conf. Synops. Crit.*
Pol. in hl. p. m. 1630. Quare insigni audaciâ usi pictores Iridem ex hac
 visione transtulerunt ad decorandum tribunal Christi, quod Scripturâ
 tamen invitâ fit, quæ, ubi agit v. g. *Matth. XXV.* de ipsius reditu ad ju-
 dicium, ejus non facit mentionem. *Ubi igitur Scriptura silet, loqui*
nos, (multò minus pingere) nec est necesse, nec pium aut securum, inquit
 benè *Dn. Ursinus l.c.* Qui insuper hac addit: *Argumentum mihi irre-*
fragabile est, quod neque thronus aliquis, neque tribunal, neque tubæ
& præconium erunt corporalia, sed ἀνάλογον, quò gloria & Maje-
stas judicis manifestetur. -- Processio Domini visibilis erit, pompam
dies ipsa Domini revelabit.

Quid de extremi judicii pictura alia, quâ videbatur antiquitùs
 ex ore Christi progredi ex uno lilius, ex altero verò latere gladius,
 censendum sit, non vacat adscribere. *Vid. B.D. Bakii comment. ad*
Psal. XLV. p. m. 537. b.

EPILOGUS.

Cesso tandem colligere errores. Sat prata biberunt. Multos
 sciens præterii, parcendum fuit & chartæ & sumtibus. Reliqui aliis si
Johan. XIX. non messem, tamen largum adhuc spicilegium. Reliqui picturam,
 34. *corpus Christi in cruce pendens delicatum exhibentem, quod tamen,*
Luc, II. 7. acerbissimis verberibus fuit exceptum & sanguinis imbre perfusum;
ibid. & ap. reliqui ædes *Marie & Elisabethæ* insigni opere & porphyreticis co-
 alios. *luminis fultas; reliqui Mariam in partu obstetricis opera uten-*
tem & post partum aliquamdiu expallescentem, & quasi cum vi do-
lorum conflictatam. Quâ figura tacitè firmatur error *Helvidii,* de
 amissa post partum virginitate *Mariæ,* contra quem *Hieronimus* scri-
 bens: *nulla, ait, obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit,*
ipsa & obstetrix & mater fuit (vid. *Gabriel. Paleoti Tr. de S. & profa-*
nis imaginibus p. m. 154.) reliqui infantili depictos statura filios *Zebe-*
 20. *dei, accedentes cum matre ad Christum, petituros ωγεδρίαν; reliqui*
Luc, VII. 38. Peccatricem effigiatam, quasi ad pedes Christi fuerit advoluta, quam
 tamen

tamen stetit textus Luc. VII. 38. (σῶσαι τοὺς πόδας) docet. Vid.
B. Dn. L. Stegeri Dissert. de lotion. Veterum cap. 7. p. 35.

Hos, inquam, aliosque errores reliqui intactos, quia & sunt
crassissimi, & cuiusvis *ἔχοντι* statim obyii. Ceterum videt B. L. ex
adductis, non quoslibet admittendos esse ad picturas sacras exprimen-
das. Id enim studium quondam fuit magnis regibus, ut sacros vultus
suos non à quovis sinerent pingi, qui fortè cucurbitam aut cupressum
simulare didicisset. Notum est *M. Alexandri* edictum, quo vetuit
universo orbi suo, ne quis effigiem Regis temerè assimilaret ære, colore,
cælamine, veritus, eandem à multis artificibus vulgaribus contami-
natum iri; quare præcepit, solus eam *Polycletus* (juxta alios *Lysippus*
vid. Vosf. de 4. art. popul. p. m. 84.) ære duceret, solus *Apelles* colo-
ribus delinearet, solus *Pyrgoteles* cælamine excuderet. Quod utinam
pari exemplo sacrarum imaginum valeret, ne quis eas temerè figuran-
das sumeret, non tot, credo, corruptas imagines biblicas
nos esse habituros.



Super-

AK 11350

Superpondia.

I.
Vox Abenteuer videtur origine Gallica.

II.
Imperitè nomen JEfu per literas IHS scribitur & pingitur.

III.
Non color ut color, sed ut illuminatus est objectum visus.

IV.
Impudicitiaè haut sunt accusandi pictores, Christum infantulum nudo corpore depingentes.

V.
Sine tautologia genus Metaphyfica statuitur scientia contemplatrix.

VI.
Juramentum per falsos Deos obligatorium est.

FINIS.

Handwritten marks and faint text at the bottom of the page, including the word 'Index' and some illegible characters.







PIC

M.

CH

DEI S

H

LXXIX.

nâ-Saxo,

Kohe /

e

DULTU

KA,

ANS



703



Kodak LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Ruler: Inches 1-8, Centimetres 1-19

Color labels: Blue, Cyan, Green, Yellow, Red, Magenta, White, 3/Color, Black

